BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE
RACCOLTA NENCINI
D
I
12

Ex Libris Joannis Nencini
1874.

Digitized by Google

~~D. S. A.~~ D. 1.

# PHÆDRI

## *FABULÆ.*

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

Durand In. del.
L. Jouard. Sculp.

# PHÆDRI
## *AUGUSTI LIBERTI*
# FABULARUM
## *LIBRI V.*

CUM NOTIS ET SUPPLEMENTIS

GABRIELIS BROTIER.

*ACCESSERUNT PARALLELÆ*

JOANNIS DE LA FONTAINE

*FABULÆ.*

*PARISIIS,*

Typis J. BARBOU, viâ Mathurinenſium.

*M DCC LXXXIII.*

# ERUDITO
## *LECTORI*
## GABRIEL BROTIER.

PRIMAS juventutis delicias, extrema ſenectutis ſolatia, mediæ ætatis oblectamenta ſimul & documenta, Phædri Fabulas edendi quod fuerit mihi conſilium, quæ ratio, paucis aperiam.

Elegantiſſimum ſcriptorem plurimis in locis aut librariorum incuriâ, aut conjecturarum inanitate fuiſſe fœdatum jampridem deprehenderam : dolebam quoque nonnulla eſſe non modò disjecta, ſed & lacera, quæ lectorem morabantur, niſi ſuum in locum reſtituerentur & ſupplementis explerentur. Hæc cùm animo agitarem, ad me adlata ſunt duo Phædri exemplaria, quæ diligen-

ter evolvi. Horum alterum, quod Mſ. Pith. brevitatis cauſâ appellabitur, eſt membranaceus codex, ante DCCCC. annos ſcriptus, ab erudito Jacobo Sirmondo Societatis Jeſu in Lotharingiâ quondam repertus, & amico ſuo Franciſco *Pithou* dono datus; unde prima editio, accurante Petro *Pithou*, Franciſci fratre, prodiit. Egregium illud antiquitatis monumentum, pro ſuâ humanitate & avito ſibique ingenito in literas & egregias quaſque artes ſtudio communicatum voluit illuſtriſſimus *Le Peletier de Roſanbo*, Senatûs Pariſienſis præſes. Alterum, quod Mſ. Rem. dicetur, non eſt ipſe codex manu ſcriptus Bibliothecæ Remenſis, quæ, ineunte anno MDCCLXXIV. flammis hauſta, miſerabiliter periit, ſed variæ lectiones, quas ex illo codice optimæ antiquitatis diligenter excerpſerat D. *Vincent* e ſacrâ Benedictinorum familiâ. Harum copiam nobis fecit Cl. *Deſaunays*, Bibliothecæ Regiæ cuſtos, & literarum ſplendoris cupidiſſimus.

Iis inſtructus ſubſidiis Phædrum emendavi. Nec me laboris pœnitet, cùm in ſin-

gulis ejus libris multa corrigere, libros IV. & V. meliorem in ordinem digerere ſit datum. Loca quoque, quæ nullis eruditorum virorum conjecturis illuſtrari potuerant, lucem accepere certiſſimam. Unum tantummodo proponetur exemplum. Phædrus, in Prologo libri IV. ad Particulonem, non ſcripſit, *dum variè perleges*, ut edidit, nullo ſenſu, Cl. *Pithou*, nec *dum vacivè perleges*, quod recentioribus editoribus emendare placuit, licèt ipſa repugnet latinitas; ſed *dum Variæ perleges*, ut habet Mſ. Pith. vero quidem ſenſu & optimo. Varia enim, ubi fuit Particulonis villa, vicus erat agri Tiburtini, ab Horatio (1) ob villæ ſuæ vicinitatem laudatus. Tantum eſt momenti vel in unâ literâ, ſæpe & in apice, ut ſervetur veterum ſcriptorum integritas! Alia exempla ſuppeditabunt Notæ, quas, quantùm potuimus, paucas breveſque fecimus: verùm eas & numeroſiores & prolixiores præſtitit aut explicandarum emendationum, aut dilluci-

(1) Horat. I. Epiſt. XIV, 3.

dandæ antiquitatis, aut conferendi inter ſe ingenia neceſſitas. Eâ curâ defunctus, ad ſupplementa acceſſi. In duabus Fabulis ſunt paulo longiora, in aliis breviora, ut poſtulavit locus rerumque ſeries. Id utilitatis habent ſupplementa, in literis æquè atque in artibus neceſſaria ac decora, quòd nec hæreat legentium animus, nec mens ſcriptoris lateat. Italicis literis diſtinguuntur, ne noſtra pro Phædri partu venditemus.

In iis conquieſcere potuit labor. At tunc deerat editionis pars utiliſſima. Olim oſtendi e Cornelio Tacito profeciſſe ſummos viros Petrum *Corneille* & Joannem *Racine*. Quàm juvat nunc oſtendere non ſolùm quantùm e Phædro profecerit Joannes *de la Fontaine*, ſed quomodo ab eo fuerit informatus egrégius ille ac prorſus mirabilis Gallicarum Fabularum artifex! Si quis ergo voluerit, dum legit, dulciſſimâ ſolidâque voluptate perfrui, Latinas Fabulas cùm Gallicis, Gallicas cùm Latinis invicem conferat, Romanam concinnitatem Gallicamque feſtivitatem perſentiat, quando & quoties iiſdem

ſimilibuſve in argumentis aut Phædrus, aut Joannes *de la Fontaine*, ſuperior ſit, aut inferior, ipſe penſitet ac dijudicet. Talibus experimentis mens acuitur, creſcit ingenium, animus puriſſimis veri pulchrique ſuccis imbuitur. Plus adhuc voluptatis & utilitatis percipient nobiliſſima ſcriptorum ingenia, ſi hac in palæſtrâ ſeſe exerceant, ſi certamina inſtituant, ſi ſæpe victi ſæpius vincere & nova audere perdiſcant. Hac iere viâ Romani, hac Gallici, literarum proceres. Sola hæc, & certa eſt, ſemita. Uni fortè mortalium Homero datum eſt, ut naturâ ſuâ fecundus, ſine externis quibus aleretur rivulis, ipſe foret ingeniorum fons. Superest ut de Phædro ejuſque editoribus pauca eloquar.

Natus eſt Phædrus in eâ Thraciæ parte, quam, cùm in lucem editus eſt, obtinebant Macedones (1), poſt annum Urbis conditæ DCXCIV, ante Chriſtum 60, quo C. Octavius, Auguſti pater, ex prætură Macedo-

(1) Strabo libr. X. pag. 470. Phædrus Prolog. libr. III.

niam ſortitus, provinciam clariſſimâ lenitatis & innocentiæ famâ adminiſtravit, Beſſis ac Thracibus magno prœlio fuſis (1). Ejus patria fuit Pierii montis jugum, partu Muſarum, ut ferebatur, nobile. Certius addidere decus Linus & Orpheus, vates nobiliſſimi. Ingeniis favere ſolet cæli ſolique benignitas : quod rarius eſt, Phædro profuit & ipſa ſervitus. Eâ enim duce, in Auguſti domum, fortunæ, artium & literarum ſedem, venit ; ibique exquiſitiſſimæ elegantiæ ſaporem perfecit. Acceſſit libertas ab Auguſto data, & unicè expetita viro literarum & literarii otii ſtudioſo, cui nulla erat aut potentiæ aut opum libido. At in triſtiſſima Tiberii tempora incidit, quibus omnia erant intuta. Non verba ſolùm & ſcripta obſervabantur, ſed, Tacito teſte (2), *& muta atque inanima, tectum & parietes circumſpectabantur.* In hoc temporum lubrico, Phædrus ſuos prudentiæ ſenſus Fa-

(1) Sueton. in Auguſt. cap. 3. Cicero Epiſt. ad Quintum fratrem I. cap. 7, II. cap. 2.

(2) Tacit. Annal. IV, 69.

bulis velavit ; nec effugit ſævas Sejani accuſationes. Iis irretitus & ad calamitatem detruſus, tenuitate ſuâ ſupremam, quæ potentioribus imminebat, neceſſitatem evaſit. Cùm tantis premeretur anguſtiis, nec ulla umquam ei fuiſſet habendi cura, amicos nactus eſt ſtudiorum ſuorum fautores, quorum fortunis adjutus aliquod miſeriarum delinimentum expertus eſt, & Principi Urbique lætiſſimam Sejani ruinam ſpectavit. Haud mihi videtur Tiberio ſuperſtes vixiſſe ; aut, ſi vixerit, tædio ſenioque confectus, nihil ſcripſiſſe. Liberrimus enim animus, & vitiis ſtultitiæque infenſus, veſanos Caii Caligulæ impetus notaſſet ; quo tamen de argumento nullæ exſtant ejus Fabulæ.

Sunt qui velint poetæ elegantiſſimi opus aliquandiu delituiſſe, cùm Seneca (1) Polybium ſit hortatus, ut *Fabellas & Æſopeos logos intentatum Romanis ingeniis opus*, ſolitâ ſibi venuſtate connecteret. At hæc taliaque dici potuere, quòd Phædrus, non Romanus, ſed Thrax fuerit. Exteri tamen,

(1) Senec. Conſol. ad Polyb. cap. 27.

quales Phædrus & Seneca, ſunt & ipſi Romanarum literarum decora. Gravior eſt quæſtio de Martiale (1), *improbi jocos Phædri* arguente. Fortè alius eſt, ut quidam opinantur, licèt eodem nomine, & a Fabularum ſcriptore diverſus. Ut ut eſt, mirum videri non debet ab adulatore Domitiani, Principis flagitioſiſſimi, improbum appellatum fuiſſe, qui nec Sejanum, nec Tiberium laudavit. Certè nulla fuit Phædri improbitas, ut conſtat ex ejus Fabulis; ſed ingenioſa ſagacitas, ſolita vitam moreſque hominum feſtivis imaginibus oſtendere. Schoppium vix appellabo latinitatem Phædri culpare auſum. Pudet enim aut inſcitiæ, aut malignitatis. Poetam optimum & elegantiſſimum, dum viveret & poſt mortem obtrectatores invidoſque paſſum, ſera tantóque æquior ulciſcitur poſteritas. Quod virtutis conſcientiâ in ſpe votiſque ſemper habuit, nomen obtinet victurum, dum Latinis manebit pretium literis. Crevit creſcetque ejus

(1) Martial. Epigramm. III, 20.

fama, Joannis *de la Fontaine* æmulatione & laudibus celebrata atque æternitati conſecrata.

Prima ejus editio, ut jam memoratum eſt, prodiit curâ Petri Pithœi anno MDXCVI. Nicolaus Rigaltius, ex collatis quibuſdam codicis Mſ. Remenſis locis, quos cum illo Jacobus Sirmondus, de Phædro optimè meritus, communicaverat, meliorem eam fecit. Deinde illuſtrata eſt eruditione Cll. virorum Fabri, Neveleti, Praſchii, Schefferi, Joannis Laurentii, Freinshemii, Rittershuſii, Walchii, Richteri, Gronovii, Hoogſtratani, Bentleii, Burmanni aliorumque, qui ſanè de literis optimè ſunt meriti: plus tamen laudis conſecuturi, ſi minor iis fuiſſet emendandi prurigo, & in inquirendis, evolvendis explicandiſque Mſſ. Phædri ſchedis, quæ penes Petrum Danielem & Paulum Petavium fuerant, aut in Bibliothecis deliteſcebant, plus operæ poſuiſſent. Novum in ſubſidium venit Nicolaus Perottus, Archiepiſcopus Sipontinus. At malè conſultus, nec Graculi Fabulâ deterritus, dum, more lite-

ratorum virorum, qui ſæculo XV antiquorum ſcripta ſuffurabantur, ut alienis opibus ingenii laudem ſibi quærerent, Phædri Fabulas ſuis interponit, eaſque pro lubidine minuit aut amplificat, contumeliam ſibi, Phædro injuriam intulit. Manent tamen apud Perottum intacta antiquitatis veſtigia, quibus ſagaciter inſiſtendum eſt. Id optimè ſenſerat Natalis Stephanus *Sanadon*, qui, quantùm e Mſſ. ejus adnotationibus licet conjicere, de Phædri editione cogitaſſe videtur: vir elegantioris literaturæ ſtudioſus, in hoc ſcribendi genere exercitatus, ſed & ipſe adversùs emendationum pruritum haud ſatis firmus. Ineditis ejus adnotationibus, &, quod miror, illaudatis uſus eſt Cl. *Philippe*, cùm editionem anni MDCCXLVII. Pariſiis adcuraret. Hæc ſunt, quæ eruditum lectorem præmonitum volui, ut novi mei laboris ratio ordoque & auctoritas conſtarent.

# *TESTIMONIA.*

## FLAVIUS AVIANUS,

### *Præfatio Theodoſio.*

HUJUS ergo materiæ ducem nobis Æſopum noveris, qui, reſponſo Delphici Apollinis monitus, ridicula orſus eſt, ut legenda firmaret. Verùm has pro exemplo Fabulas & Socrates divinis operibus indidit, & poemati ſuo Flaccus aptavit, quod in ſe, ſub jocorum communium ſpecie, vitæ argumenta contineant : quas Græcis Iambis Gabrias repetens, in duo volumina coarctavit. Phædrus etiam partem aliquam quinque in libellos reſolvit.

## CASPAR BARTHIUS,

### *Adverſaria, libr. XXX, 22.*

INGENUAS Phædri Fabulas a primâ puritiâ in deliciis habui. Et immortali amore prudentiam, in tam ſuavibus verbis & Fabulis abditam, dignam eſſe quis neget?

## FRANCISCUS VAVASSOR;

*De Ludicrâ dictione, pag. 205.*

PHÆDRUM igitur habemus, Auguſti libertum.... qui & nomine ipſo hilaritatem præ ſe fert, & profitetur libelli ſui dotem alteram e duabus eſſe, ut riſum moveat, & fictis Fabulis jocetur. Idem quàm propriè de communibus & quotidianis rebus, quas alii tractarunt ſcriptores nulli, loquitur! quàm ſincerè & ab omni peregrinitate atque inſolentiâ remotè! quàm preſsè nec moleſtè tamen! quàm ſolutè, nec licenter! quàm emendatè literatéque, ac bene, ut verbo dicam latinè! in quo genere quid poſſet, & agnovit ipſe & æquales, qui ætate vivebant eadem, cùm ejus verba in ſuas chartas transferrent (1), ſatis declararunt.

(1) Phædr. libr. IV. Prolog.

## JOSEPHUS *JOUVANCY,*

*De Ratione diſcendi & docendi, Articul. I. ſect. 2.*

Phædrus, origine Thrax, libertus Auguſti, floruit ſub Tiberio; lucet in eo nativus quidam latini ſermonis candor, aureo Auguſti ſæculo digniſſimus.

## JOANNES *DE LA FONTAINE.*

Unus ille teſtibus omnibus ingenio, auctoritate, arte & exemplo antecellit.

Les Fables ne ſont pas ce qu'elles ſemblent être;
Le plus ſimple animal nous y tient lieu de Maître.
Une morale nue apporte de l'ennui:
Le Conte fait paſſer le Précepte avec lui.
En ces ſortes de feinte il faut inſtruire & plaire;
Et conter pour conter me ſemble peu d'affaire.
C'eſt par cette raiſon, qu'égayant leur eſprit,
Nombre de gens fameux en ce genre ont écrit:
Tous ont fui l'ornement & le trop d'étendue.
On ne voit point chez eux de parole perdue.

Phedre étoit ſi ſuccinct qu'aucuns l'en ont blâmé (1).
Eſope en moins de mots s'eſt encore exprimé.

De la Fontaine, *Fables* VI, 1.

Toute puiſſance eſt foible à moins que d'être unie.
Ecoutez là-deſſus l'Eſclave de Phrygie (2).
Si j'ajoute du mien à ſon invention,
C'eſt pour peindre nos mœurs, & non pas par envie,
Je ſuis trop au-deſſous de cette ambition.
Phedre enchérit ſouvent par un motif de gloire:
Pour moi, de tels penſers me ſeroient mal ſéans.
Mais venons à la Fable où plutôt à l'Hiſtoire
De celui qui tâcha d'unir tous ſes enfans.

Le même, *Fables IV. 18.*

A peine les Fables qu'on attribue à Eſope virent le jour, que Socrate trouva à propos de les habiller des livrées des Muſes. . . . Il n'y a point de bonne Poéſie ſans harmonie; mais il n'y en a point non plus ſans fictions; & Socrate ne ſavoit que dire la vérité. Enfin, il avoit trouvé un tempé-

(1) Phedre Liv. III. Fable X.
(2) Eſope, né en Phrygie.

rament. C'étoit de choiſir des Fables qui continſſent quelque choſe de véritable, telles que ſont celles d'Eſope. Il employa donc à les mettre en vers les derniers momens de ſa vie.

Socrate n'eſt pas le ſeul qui ait conſidéré comme ſœurs, la Poéſie & nos Fables. Phedre a témoigné qu'il étoit de ce ſentiment; & par l'excellence de ſon Ouvrage, nous pouvons juger de celui du Prince des Philoſophes.

Le même, *Préface.*

On ne trouvera pas ici l'élégance ni l'extrême briéveté qui rendent Phedre recommandable; ce ſont qualités au-deſſus de ma portée. Comme il m'étoit impoſſible de l'imiter en cela, j'ai cru qu'il falloit en récompenſe égayer l'ouvrage plus qu'il n'a fait. Non que je le blame d'en être demeuré dans ces termes: la Langue Latine n'en demandoit pas davantage; & ſi l'on y veut prendre garde, on reconnoîtra dans cet Auteur le vrai caractere & le vrai génie de Térence.

La ſimplicité eſt magnifique chez ces grands hommes : moi qui n'ai pas les perfections du langage comme ils les ont eues, je ne la puis élever à un ſi haut point. Il á donc fallu ſe récompenſer d'ailleurs : c'eſt ce que j'ai fait avec d'autant plus de hardieſſe, que Quintilien dit qu'on ne ſauroit trop égayer les Narrations.

*Ibid.*

J'ai conſidéré que ces Fables étant ſues de tout le monde, je ne ferois rien ſi je ne les rendois nouvelles par quelques traits qui en relevaſſent le goût. C'eſt ce qu'on demande aujourd'hui. On veut de la nouveauté, & de la gaieté. Je n'appelle pas gaieté ce qui excite le rire ; mais un certain charme, un air agréable qu'on peut donner à toutes ſortes de ſujets, même les plus ſérieux.

*Ibid.*

L'Apologue eſt compoſé de deux parties dont on peut appeller l'une le Corps, l'autre l'Ame. Le Corps eſt la Fable, l'Ame

eſt la Moralité. Ariſtote n'admet la Fable que dans les Animaux ; il en exclut les Hommes & les Plantes. Cette regle eſt moins de néceſſité que de bienſéance ; puiſque ni Eſope, ni Phedre, ni aucun des Fabuliſtes ne l'a gardée : tout au contraire de la Moralité dont aucun ne ſe diſpenſe. Que s'il m'eſt arrivé de le faire, ce n'a été que dans les endroits où elle n'a pu entrer avec grace, & où il eſt aiſé au Lecteur de la ſuppléer. On ne conſidere en France que ce qui plaît. C'eſt la grande regle, & pour ainſi dire, la ſeule. Je n'ai donc pas cru que ce fût un crime de paſſer par deſſus les anciennes coutumes, lorſque je ne pouvois les mettre en uſage ſans leur faire tort. Du tems d'Eſope la Fable étoit racontée ſimplement, la Moralité ſéparée, & toujours enſuite. Phedre eſt venu qui ne s'eſt pas aſſujetti à cet ordre : il embellit la Narration, & tranſporte quelquefois la Moralité de la fin au commencement.

*Ibid.*

## QUID ET QUOMODO IMITANDUM.

Et faute d'admirer les Grecs & les Romains,
On s'égare en voulant tenir d'autres chemins.
Quelques imitateurs, ſot bétail, je l'avoue,
Suivent, en vrais moutons, le Paſteur de Mantoue.
J'en uſe d'autre ſorte, & me laiſſant guider,
Souvent à marcher ſeul j'oſe me haſarder.
On me verra toujours pratiquer cet uſage:
Mon imitation n'eſt point un eſclavage,
Je ne prens que l'idée, & les tours & les loix,
Que nos Maîtres ſuivoient eux-mêmes autrefois.
Si d'ailleurs quelqu'endroit plein chez eux d'excellence,
Peut entrer dans mes vers ſans nulle violence,
Je l'y tranſporte, & veux qu'il n'ait rien d'affecté,
Tâchant de rendre mien cet air d'antiquité.
Je vois avec douleur ces routes mépriſées.
Art & Guides, tout eſt dans les Champs Eliſées.

De la Fontaine, *Poéſies meſlées*
à M. l'Evêque d'Avranches.

## *FABULARUM LAUS.*

L'Apologue eſt un don qui vient des Immortels.
Ou ſi c'eſt un préſent des hommes,
Quiconque nous l'a fait mérite des Autels;
Nous devons, tous tant que nous ſommes,
Eriger en Divinité
Le Sage par qui fut ce bel Art inventé.
C'eſt proprement un charme: il rend l'ame attentive,
Ou plutôt il la tient captive,
Nous attachant à des récits
Qui menent à ſon gré les cœurs & les eſprits.

De la Fontaine, *Fables*, liv. VI. Prolog.

Grace aux Filles de Mémoire,
J'ai chanté des Animaux;
Peut-être d'autres Héros
M'auroient acquis moins de gloire.
Le Loup, en langue des Dieux,
Parle au Chien dans mes ouvrages.
Les Bêtes, à qui mieux mieux,
Y font divers perſonnages,
Les uns fous, les autres ſages:
De telle ſorte pourtant
Que les fous vont l'emportant:
La meſure en eſt plus pleine.
Je mets auſſi ſur la ſcene

Des Trompeurs, des Scélérats,
Des Tyrans & des Ingrats,
Mainte imprudente pécore,
Force Sots, force Flatteurs.
Je pourrois y joindre encore
Des légions de Menteurs.
Tout homme ment, dit le Sage.
S'il n'y mettoit ſeulement
Que les gens du bas étage,
On pourroit aucunement
Souffrir ce défaut aux hommes:
Mais que tous, tant que nous ſommes,
Nous mentions, grand & petit,
Si quelque autre l'avoit dit,
Je ſoutiendrois le contraire.
Et même qui mentiroit
Comme Eſope, & comme Homere,
Un vrai menteur ne ſeroit.
Le doux charme de maint ſonge,
Par leur bel art inventé,
Sous les habits du menſonge
Nous offre la vérité.
L'un & l'autre a fait un livre
Que je tiens digne de vivre
Sans fin, & plus s'il ſe peut.
Comme eux, ne ment pas qui veut.

Le même. *Fables* IX, 1.

*PHÆDRI*

# PHÆDRI
## AUGUSTI LIBERTI
# FABULARUM
## LIBER PRIMUS.

### PROLOGUS.

ÆSOPUS auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi verſibus ſenariis.
Duplex libelli dos eſt : quòd riſum movet,
Et quòd prudenti vitam conſilio monet.
Calumniari ſi quis autem voluerit
Quòd & arbores loquantur, non tantùm feræ,
Fictis jocari nos meminerit Fabulis.

# FABULA I.

## *LUPUS, ET AGNUS.*

AD rivum eumdem Lupus & Agnus venerant,
Siti compulsi : superior stabat Lupus,
Longéque inferior Agnus. Tunc fauce improbâ
Latro incitatus, jurgii causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti ? Laniger contrà timens :
Quî possum, quæso, facere quod quereris, Lupe ?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses at maledixisti mihi ;
Respondit Agnus : equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi ;
Atque ita correptum lacerat injustâ nece.

Hæc propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

## FABULA II.

### RANÆ REGEM PETENTES.

ATHENÆ cùm florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miſcuit,
Frenumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc conſpiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus.
Cùm triſtem ſervitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, ſed quoniam grave
Omnino inſuetis onus, & cœpiſſent queri,
Æſopus talem tum fabellam retulit.

Ranæ vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere ab Jove,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret.
Pater deorum riſit, atque illis dedit
Parvum tigillum: miſſum quod ſubitò vadis,
Motu ſonoque terruit pavidum genus.
Hoc merſum limo cùm jaceret diutiùs,
Fortè una tacitè profert e ſtagno caput,
Et, explorato rege, cunctas evocat.
Illæ timore poſito certatim adnatant,
Lignumque ſupra turba petulans inſilit:
Quod cùm inquinaſſent omni contumeliâ,
Alium rogantes regem miſere ad Jovem,
Inutilis quoniam eſſet, qui fuerat datus.

Tum miſit illis Hydrum, qui dente aſpero
Corripere cœpit ſingulas. Fruſtra necem
Fugitant inertes : vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Adflictis ut ſuccurrat. Tunc contrà Deus :
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc ſuſtinete, majus ne veniat malum.

## FABULA III.

### *GRACULUS SUPERBUS, ET PAVO.*

NE gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potiùs habitu vitam degere,
Æſopus nobis hoc exemplum prodidit.

Tumens inani Graculus ſuperbiâ,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, ſuſtulit
Seque exornavit : deinde contemnens ſuos
Immiſcet ſe pavonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque roſtris. Malè multatus Graculus
Redire mærens cœpit ad proprium genus ;
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius deſpexerat :
Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et, quod natura dederat, voluiſſes pati,

Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

## FABULA IV.

### *Canis per fluvium carnem ferens.*

AMITTIT meritò proprium, qui alienum adpetit.

Canis, per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum;
Aliamque prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verùm decepta aviditas,
Et quem tenebat ore, dimiſit cibum;
Nec quem petebat, potuit adeò attingere.

## FABULA V.

### *Vacca, Capella, Ovis, et Leo.*

NUMQUAM eſt fidelis cum potente ſocietas:
Teſtatur hæc fabella propoſitum meum.

Vacca, & Capella, & patiens Ovis injuriæ
Socii fuere cum Leone in ſaltibus.

Hi cùm cepiſſent Cervum vaſti corporis,
Sic eſt locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quoniam Leo;
Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi;
Tum quia plus valeo, me ſequetur tertia;
Malo adficietur, ſi quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam ſola improbitas abſtulit.

## FABULA VI.

### RANÆ AD SOLEM.

VICINI furis celebres vidit nuptias
Æſopus, & continuò narrare incipit.

Uxorem quondam Sol cùm vellet ducere,
Clamorem Ranæ ſuſtulere ad ſidera.
Convicio permotus quærit Jupiter
Cauſam querelæ; quædam tum ſtagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miſeras aridâ ſede emori;
Quidnam futurum eſt, ſi crearit liberos?

## FABULA VII.

### VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM.

PERSONAM tragicam fortè Vulpis viderat;
O quanta ſpecies, inquit, cerebrum non habet!

Hoc illis dictum eſt, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.

## FABULA VIII.

### LUPUS ET GRUIS.

QUI pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: primùm, quoniam indignos adjuvat;
Impunè abire deinde quia jam vix poteſt.

Os devoratum fauce cùm hæreret Lupi,
Magno dolore victus cœpit ſingulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem perſuaſa eſt jurejurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam Lupo.
Pro quâ cùm pactum flagitaret præmium:
Ingrata es, inquit, ore quæ noſtro caput
Incolume abſtuleris: & mercedem poſtulas!

## FABULA IX.

### PASSER, ET LEPUS.

SIBI non cavere, & aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

Oppressum ab aquilâ fletus edentem graves
Leporem objurgabat Passer : Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est ? quid ita cessarunt pedes ?
Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus, mortis in solatio :
Qui modò securus nostra inridebas mala,
Simili querelâ fata deploras tua.

## FABULA X.

### LUPUS, ET VULPIS, JUDICE SIMIO.

QUICUMQUE turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc adtestatur brevis Æsopi fabula.

Lupus arguebat Vulpem furti crimine :
Negabat illa se esse culpæ proximam.

Tunc judex inter illos ſedit Simius.
Uterque cauſam cùm peroraſſent ſuam,
Dixiſſe fertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe quod petis;
Te credo ſubripuiſſe quod pulchre negas.

## FABULA XI.

### *Asinus, et Leo Venantes.*

Virtutis expers, verbis captans gloriam,
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.

Venari, Aſello comite, cùm vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit ſimul,
Ut inſuetâ voce terreret feras,
Fugientes ipſe exciperet. Hic auriculas
Clamorem & ſubitò tollit totis viribus,
Novoque turbat beſtias miraculo;
Quæ dum paventes exitus notos petunt,
Leonis adfliguntur horrendo impetu.
Hic poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum evocat,
Jubetque vocem premere. Tunc iſte inſolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meæ?
Inſignis, inquit, ſic ut niſi noſſem tuum
Animum genuſque, ſimili fugiſſem metu.

## FABULA XII.

### CERVUS AD FONTEM.

LAUDATIS utiliora, quæ contempſeris,
Sæpe inveniri, hæc exſerit narratio.

Ad fontem Cervus, cùm bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantûm ſubito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & curſu levi
Canes eluſit. Silva tum excepit ferum,
In quâ retentis impeditus cornibus
Lacerari cœpit morſibus ſævis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidiſſe dicitur:
O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
Ut illa mihi profuerint quæ deſpexeram,
Et quæ laudaram, quantùm luctûs habuerint!

## FABULA XIII.

### VULPIS, ET CORVUS.

QUI ſe laudari gaudet verbis ſubdolis,
Fere dat pœnas turpi pœnitentiâ.

Cùm de feneſtrâ Corvus raptum caſeum
Comeſſe vellet celsâ reſidens arbore,
Hunc vidit Vulpis, deinde ſic cœpit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum eſt nitor!
Quantùm decôris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor.

Hac re probatur ingenium quantùm valet.
Virtute ſemper prævalet ſapientia.

## FABULA XIV.

### *Ex Sutore medicus.*

Malus cùm ſutor inopiâ deperditus,
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.
Hîc, cùm jaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, ejus experiendi gratiâ,
Scyphum popoſcit; fusâ dein ſimulans aquâ
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Ebibere juſſit ipſum, poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis ullâ medicum ſe prudentiâ,
Verùm ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex, advocatâ concione, hæc edidit:
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes?

Hoc pertinere verè ad illos dixerim,
Quorum ſtultitia quæſtus impudentiæ eſt.

## FABULA XV.

### ASINUS AD SENEM PASTOREM.

IN principatu commutando, ſæpius
Nil, præter domini mores, mutant pauperes.
Id eſſe verum parva hæc fabella indicat.

Aſellum in prato quidam paſcebat ſenex:
Is hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat Aſino fugere, ne poſſent capi.
At ille lentus: Quæſo, num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negavit. Ergo, quid refert meâ
Cui ſerviam, clitellas dum portem meas?

## FABULA XVI.

### OVIS, CERVUS, ET LUPUS.

FRAUDATOR homines cùm advocat ſponſu improbo,
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.

Ovem rogabat Cervus modium tritici
Lupo ſponſore; at illa præmetuens dolum:
Rapere, atque abire ſemper adſuevit Lupus,
Tu de conſpectu fugere veloci impetu:
Ubi vos requiram, cùm dies advenerit?

## FABULA XVII.

### *Ovis, Canis, et Lupus.*

SOLENT mendaces luere pœnas maleficî.

Calumniator ab Ove cùm peteret Canis,
Quem commendaſſe panem ſe contenderet,
Lupus citatus teſtis, non unum modò
Deberi dixit, verùm adfirmavit decem.
Ovis damnata falſo teſtimonio,
Quod non debebat, ſolvit. Poſt paucos dies
Bidens jacentem in foveâ proſpexit Lupum:
Hæc, inquit, merces fraudis a Superis datur.

## FABULA XVIII.

### *Mulier Parturiens.*

NEMO libenter recolit, qui læſit, locum.

Inſtante partu Mulier actis menſibus
Humi jacebat, flebiles gemitus ciens.
Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturæ meliùs quò deponeret.
Minimè, inquit, illo poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

## FABULA XIX.

### CANIS, PARTURIENS.

HABENT insidias hominis blanditiæ mali;
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.

Canis parturiens cùm rogasset alteram,
Ut fetum in ejus tugurio deponeret,
Facilè impetravit: dein reposcenti locum,
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumpto, flagitare validiùs
Cubile cœpit: Si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

## FABULA XX.

### CANES FAMELICI.

STULTUM consilium non modò effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

Corium depressum in fluvio viderunt Canes.
Id ut comesse extractum possent faciliùs,
Aquam cœpere bibere: sed rupti priùs
Periere, quàm quod petierant, contingerent.

## FABULA XXI.

### LEO SENEX, APER, TAURUS, ET ASINUS.

QUICUMQUE amiſit dignitatem priſtinam,
Ignavis etiam jocus eſt in caſu gravi.

Defectus annis, & defertus viribus
Leo cùm jaceret, ſpiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus.
Et vindicavit ictu veterem injuriam.
Infeſtis Taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus ut vidit ferum
Impunè lædī, calcibus frontem extudit.
At ille exſpirans : Fortes indignè tuli
Mihi inſultare : te, naturæ dedecus,
Quòd ferre certè cogor, bis videor mori.

## FABULA XXII.

### MUSTELA, ET HOMO.

MUSTELA ab homine prenſa cùm inſtantem necem
Effugere vellet : parce, quæſo, inquit, mihi,
Quæ tibi moleſtis muribus purgo domum.
Reſpondit ille : faceres si causâ meâ,

Gratum eſſet ; dediſſem veniam ſupplici :
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas ſunt roſuri, ſimul & ipſos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi ;
Atque ita locutus, improbam leto dedit.

Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere,
Quorum privata ſervit utilitas ſibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

## FABULA XXIII.

### CANIS FIDELIS.

REPENTE liberalis ſtultis gratus eſt,
Verùm peritis inritos tendit dolos.

Nocturnus cùm fur panem miſiſſet Cani,
Objecto tentans an cibo poſſet capi :
Heus, inquit, linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini : multùm falleris ;
Namque iſta ſubita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne meâ culpâ lucrum.

## FABULA XXIV.

### *RANA RUPTA, ET BOS.*

INOPS, potentem dum vult imitari, perit.

In prato quondam Rana conſpexit Bovem
Et tacta invidiâ tantæ magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem : tum natos ſuos
Interrogavit, an Bove eſſet latior ?
Illi negarunt. Rurſus intendit cutem
Majore niſu, & ſimili quæſivit modo
Quis major eſſet : illi dixerunt Bovem.
Noviſſimè indignata, dum vult validiùs
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

## FABULA XXV.

### *CANIS, ET CORCODILUS.*

CONSILIA qui dant prava cautis hominibus
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.

Canes currentes bibere in Nilo flumine
A Corcodilis ne rapiantur, traditum eſt.
Igitur cùm currens bibere cœpiſſet canis,
Sic Corcodilus : quàm libet lambe otio,

Noli vereri. At ille : Facerem mehercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meæ.

## FABULA XXVI.

### VULPIS, ET CICONIA.

NULLI nocendum : ſi quis verò læſerit,
Multandum ſimili jure, fabella admonet.

Ad cenam Vulpis dicitur Ciconiam
Prior invitaſſe, & illi in patinâ liquidam
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit Ciconia.
Quæ Vulpem cùm revocaſſet, intrito cibo,
Plenam lagenam poſuit : huic roſtrum inſerens
Satiatur ipſa, & torquet convivam fame.
Quæ cùm lagenæ collum fruſtra lamberet,
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus :
Sua quiſque exempla debet æquo animo pati.

## FABULA XXVII.

### *CANIS, THESAURUS, ET VULTURIUS.*

HÆC res avaris eſſe conveniens poteſt,
Et quī humiles nati, dici locupletes ſtudent.

Humana effodiens oſſa, Theſaurum Canis
Invenit, & violarat quia Manes Deos,
Injecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut ſanctæ religioni penderet.
Itaque aurum dum cuſtodit, oblitus cibi,
Fame eſt conſumptus: quem ſtans Vulturius ſuper
Fertur locutus: O Canis, meritò jaces,
Qui concupiſti ſubitò regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore.

## FABULA XXVIII.

### *VULPIS, ET AQUILA.*

QUAMVIS ſublimes debent humiles metuere:
Vindicta docili quia patet ſolertiæ.

Vulpinos catulos Aquila quondam ſuſtulit,
Nidoque impoſuit, pulli ut eſcam carperent.
Hanc perſecuta mater orare incipit,
Ne tantum miſeræ luctum importaret ſibi.
Contempſit illa, tuta quippe ipſo loco.
Ab arâ Vulpis rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hoſtis dolorem damno miſcens ſanguinis.
Aquila, ut periclo mortis eriperet ſuos,
Incolumes natos ſupplex Vulpi reddidit.

## FABULA XXIX.

### ASINUS INRIDENS APRUM.

PLERUMQUE ſtulti riſum dum captant levem
Gravi deſtringunt alios contumeliâ,
Et ſibi nocivum concitant periculum.

Aſellus Apro cùm fuiſſet obvius:
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium, & quærit, cur ſic mentiri velit.
Aſinus demiſſo pene: Similem ſi negas
Tibi me eſſe, certè ſimile eſt hoc roſtro tuo.
Aper cùm vellet facere generoſum impetum,
Repreſſit iram; &: Facilis vindicta eſt mihi:
Sed inquinari nolo ignavo ſanguine.

## FABULA XXX.

### RANÆ METUENTES TAURORUM PRÆLIA.

HUMILES laborant, ubi potentes diſſident.

Rana in palude pugnam Taurorum intuens:
Heu quanta nobis inſtat pernicies! ait.
Interrogata ab aliâ cur hoc diceret,
De principatu cùm decertarent gregis,
Longéque ab illis degerent vitam boves:
Statio, ait, ſeparata, ac diverſum eſt genus:
Sed pulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

## FABULA XXXI.

### MILVUS, ET COLUMBÆ.

QUI se committit homini tutandum improbo,
Auxilium dum requirit, exitium invenit.

Columbæ sæpe cùm fugissent Miluum,
Et celeritate pennæ vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potiùs ævum ducitis,
Quàm regem me creatis, icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem injuriâ?
Illæ credentes, tradunt sese Miluo
Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas,
Et exercere imperium sævis unguibus.
De reliquis tunc una: Meritò plectimur.

EXPLICIT LIBER I.

LIBER

L. 2. F. 1.

# LIBER SECUNDUS.

## PROLOGUS.

### AUCTOR.

EXEMPLIS continetur Æſopi genus:
Nec aliud quidquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.
Quicumque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem & ſervet propoſitum ſuum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni curâ morem ſervabo ſenis:
Sed ſi libuerit aliquid interponere,
Dictorum ſenſus ut delectet varietas,
Bonas in partes lector accipiat velim.

Ita ſic rependet illi brevitas gratiam.
Cujus verboſa ne ſit commendatio,
Attende cur negare cupidis debeas,
Modeſtis etiam offerre quod non petierint.

## FABULA I.

### *JUVENCUS, LEO, ET PRÆDATOR.*

SUPER juvencum ſtabat dejectum Leo:
Prædator intervenit partem poſtulans:
Darem, inquit, niſi ſoleres per te ſumere;
Et improbum rejecit. Fortè innoxius
Viator eſt deductus in eumdem locum,
Feroque viſo retulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non eſt quid timeas, ait;
Et, quæ debetur pars tuæ modeſtiæ,
Audacter tolle. Tunc diviſo tergore,
Silvas petivit, homini ut acceſſum daret.

Exemplum egregium prorſus & laudabile;
Verùm eſt aviditas dives, & pauper pudor.

## FABULA II.

### ANUS DILIGENS VIRUM MEDIÆ ÆTATIS, ITEM PUELLA.

A Feminis utcumque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.

Ætatis mediæ quemdam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantiâ:
Animoſque ejuſdem pulchra juvenis ceperat.
Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpere invicem.
Cùm ſe putaret pingi curâ mulierum,
Calvus repentè factus eſt: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

## FABULA III.

### *Homo, et Canis.*

LACERATUS quidam morſu vehementis Canis
Tinctum cruore panem miſit malefico.
Audierat eſſe quod remedium vulneris.
Tunc ſic Æſopus : Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Cùm tale ſcierint eſſe culpæ præmium.

Succeſſus improborum plures allicit.

## FABULA IV.

### *Aquila, Feles, et Aper.*

AQUILA in ſublimi quercu nidum fecerat :
Feles cavernam nacta, in mediâ pepererat :
Sus nemoris cultrix fetum ad imam poſuerat.
Tum fortuitum Feles contubernium
Fraude & ſceleſtâ ſic avertit malitiâ.
Ad nidum ſcandit volucris : Pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan & miſeræ mihi.
Nam fodere terram quem vides quotidie,
Aper inſidioſus quercum vult evertere,
Ut noſtram in plano facilè progeniem opprimat.

Terrore offuſo & perturbatis ſenſibus,
Derepit ad cubile ſetoſæ ſuis:
Magno, inquit, in periclo ſunt nati tui;
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore poſtquam complevit locum
Doloſa tuto condidit ſeſe cavo.
Inde evagata noctu ſuſpenſo pede,
Ubi eſcâ ſe replevit & prolem ſuam,
Pavorem ſimulans proſpicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis deſidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inediâ ſunt conſumpti cum ſuis,
Felique & catulis largam præbuerunt dapem.

Quantùm homo bilinguis ſæpe concinnet mali,
Documentum habere ſtulta credulitas poteſt.

## FABULA V.

### CÆSAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quædam Romæ natio,
Trepidè concurſans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Et ſibi moleſta, & aliis odioſiſſima.
Hanc emendare, ſi tamen poſſum, volo
Verâ fabellâ : pretium eſt operæ attendere.

Cæſar Tiberius cùm petens Neapolim,
In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,
Quæ monte ſummo poſita Luculli manu,
Proſpectat Siculum, & proſpicit Tuſcum mare;
Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridia,
Alveolo cœpit ligneo conſpergere
Humum æſtuantem, come officium jactitans:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Præcurrit alium in xiſtum, ſedans pulverem.
Agnoſcit hominem Cæſar, remque intelligit.
Is ut putavit eſſe neſcio quid boni.
Heus, inquit Dominus : Ille enimvero adſilit,
Donationis alacer certæ gaudio.
Tum ſic jocata eſt tanta majeſtas Ducis:

Non multùm egiſti, & opera nequidquam perit:
Multò majoris alapæ mecum veneunt.

## FABULA VI.

### AQUILA, CORNIX, ET TESTUDO.

CONTRA potentes nemo eſt munitus ſatis:
Si verò acceſſit conſiliator maleficus,
Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.

Aquila in ſublime ſuſtulit Teſtudinem:
Quæ cùm abdidiſſet corneâ corpus domo,
Nec ullo pacto lædi poſſet condita,
Venit per auras Cornix, & propter volans:
Opimam ſanè prædam rapuiſti unguibus,
Sed niſi monſtraro quid ſit faciendum tibi,
Gravi nequidquam te laſſabit pondere.
Promiſsâ parte, ſuadet ut ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram inlidat corticem,
Quâ comminutâ facilè veſcatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul & magiſtræ largè diviſit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit triſti nece.

## FABULA VII.

### *MULI DUO, ET LATRONES.*

MULI gravati ſarcinis ibant duo;
Unus ferebat fiſcos cum pecuniâ,
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.
Ille onere dives celsâ cervice eminet,
Clarumque collo jactat tintinnabulum:
Comes quieto ſequitur & placido gradu.
Subito latrones ex inſidiis advolant,
Interque cædem ferro mulum ſauciant;
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum,
Spoliatus igitur caſus cùm fleret ſuos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo:
Nam nihil amiſi, nec ſum paſſus vulnera.

Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas.
Magnæ periclo ſunt opes obnoxiæ.

## FABULA VIII.

### *Cervus, et Boves.*

Cervus nemorosis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret instantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et opportuno se bubili condidit.
Hic Bos latenti : Quidnam voluisti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris ?
At ille supplex : Vos modò, inquit, parcite,
Occasione rursus erumpam datâ.
Spatium diei noctis excipiunt vices :
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt subinde & redeunt omnes rustici,
Nemo animadvertit : transit etiam villicus :
Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere cœpit gratias,
Hospitium adverso quòd præstiterint tempore.
Respondit unus : Salvum te cupimus quidem,
Sed ille qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Hæc inter ipse dominus a cenâ redit ;
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præsepe : Cur frondis parum est ?
Stramenta desunt. Tollere hæc aranea
Quantùm est laboris ? Dum scrutatur singula,

Cervi quoque alta conſpicatur cornua:
Quem convocatâ jubet occidi familiâ,
Prædamque tollit. Hæc ſignificat fabula,
Dominum videre plurimùm in rebus ſuis.

## EPILOGUS.

### AUCTOR.

ÆSOPI ingenio ſtatuam poſuere Attici,
Servumque collocarunt æternâ in basi,
Patere honoris ſcirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.
Quoniam occùparat alter ne primus forem,
Ne ſolus eſſet, ſtudui; quod ſuperfuit.
Neque hæc invidia, verùm eſt æmulatio.
Quòd ſi labori faverit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Græciæ.
Sin ſivor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.
Si noſtrum ſtudium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus ſentit fabulas,
Omnem querelam ſubmovet felicitas,
Sin autem doctus illis occurrit labor,
Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam poſſunt niſi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

EXPLICIT LIBER II.

L. 3.e F.le 3.e

# LIBER TERTIUS.

## *PROLOGUS.*

### PHÆDRUS AD EUTYCHUM.

PHÆDRI libellos legere ſi deſideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus ſentiat vim carminis.
Verùm, inquis, tanti non eſt ingenium tuum,
Momentum ut horæ pereat officiis meis.
Non ergo cauſa eſt manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortaſſe dices: Aliquæ venient feriæ,
Quæ me ſoluto pectore ad ſtudium vocent.
Legeſne, quæſo, potiùs viles nænias,
Impendas curam quàm rei domeſticæ,

Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut adſuetam fortiùs præſtes vicem?
Mutandum tibi propoſitum eſt & vitæ genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego; quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fecunda noviès Artium peperit chorum,
Quamvis in ipsâ penè ſim natus ſcholâ,
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Nec laude invitâ vitam in hanc incubuerim,
Faſtidiosè tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigiliâ,
Docto labori dulce præponens lucrum?
Sed jam quodcumque fuerit (ut dixit Sinon,
Ad regem cùm Dardaniæ perductus foret;)
Librum exarabo tertium Æſopi ſtilo,
Honori & meritis dedicans illum tuis.
Quem ſi leges, lætabor; ſin autem minùs,
Habebunt certè, quo ſe oblectent poſteri.

Nunc fabularum cur ſit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia
Quia quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.
Ego porro illius ſemitâ feci viam,
Et cogitavi plura quàm reliquerat,

In calamitatem deligens quædam meam.
Quòd ſi accuſator alius Sejano foret,
Si teſtis alius, judex alius denique,
Dignum faterer eſſe me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suſpicione ſi quis errabit ſuâ,
Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium;
Stultè nudabit animi conſcientiam.
Huic excuſatum me velim nihilominus.
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
Verùm ipſam vitam & mores hominum oſtendere:
Rem me profeſſum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Æſopus potuit, si Anacharſis Scytha,
Æternam famam condere ingenio ſuo:
Ego litteratæ qui ſum propior Græciæ,
Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?
Threiſſa cùm gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo,
Qui ſaxa cantu movit, & domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci morâ.
Ergo hinc abeſto, Livor; ne fruſtra gemas
Quoniam ſollemnis mihi debetur gloria.

Induxi te ad legendum; ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

## FABULA I.

### ANUS AD AMPHORAM.

ANUS jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falernâ fæce, & teſtâ nobili
Odorem quæ jucundum latè ſpargeret.
Hunc poſtquam totis avida traxit naribus:
O ſuavis anima, quale te dicam bonum
Antehac fuiſſe, tales cùm ſint reliquiæ?

Hoc quò pertineat, dicet qui me noverit.

## FABULA II.

### PANTHERA, ET PASTORES.

SOLET a deſpectis par referri gratia.

Panthera imprudens olim in foveam decidit.
Vidêre agreſtes: alii fuſtes congerunt,
Alii onerant ſaxis; quidam contrà miſeriti,
Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,
Misêre panem, ut ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt: abeunt ſecuri domum,
Quaſi inventuri mortuam poſtridie.
At illa vires ut refecit languidas,

Veloci ſaltu fovcâ ſeſe liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpoſitis, provolat,
Pecus trucidat, ipſos paſtores necat,
Et cuncta vaſtans, ſævit irato impetu.
Tum ſibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnum haud recuſant, tantùm pro vitâ rogant.
At illa : Memini, qui me ſaxo petierit,
Quis panem dederit : vos timere abſiſtite,
Illis revertor hoſtis, qui me læſerant.

## FABULA III.

### ÆSOPUS, ET RUSTICUS.

USU peritus hariolo velocior
Vulgò eſſe fertur, cauſa ſed non dicitur:
Noteſcet quæ nunc primùm fabellâ meâ.

Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monſtro exterritus
Ad conſulendos currit mærens hariolos.
Hic pertinere ad domini reſpondet caput,
Et avertendum victimâ periculum.
Ille autem adfirmat conjugem eſſe adulteram,
Et inſitivos ſignificari liberos :
Sed expiari poſſe majori hoſtiâ.
Quid multa ? variis diſſident ſententiis,
Hominiſque curam curâ majore adgravant.

Æſopus ibi ſtans, naris emunctæ ſenex,
Natura numquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis oſtentum, Ruſtice,
Uxores, inquit, da tuis paſtoribus.

## FABULA IV.

### SIMII CAPUT.

PENDERE ad Lanium quidam vidit Simium
Inter relictas merces atque obſonia.
Quæſivit, quidnam ſaperet; tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput eſt, talis præſtatur ſapor.

Ridiculè magis hoc dictum, quàm verè æſtimo.
Quando & formoſos ſæpe inveni peſſimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

## FABULA V.

### ÆSOPUS, ET PETULANS.

SUCCESSUS ad perniciem multos devocat.

Æſopo quidam petulans lapidem impegerat;
Tantò, inquit, melior: aſſem deinde illi dedit.
Sic proſecutus: Plus non habeo mehercule;
Sed unde accipere poſſis, monſtrabo tibi.

Venit ecce dives & potens : huic ſimiliter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Perſuaſus ille, fecit quod monitus fuit.
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam :
Comprehenſus namque pœnas perſolvit cruce.

## FABULA VI.

### *MUSCA, ET MULA.*

MUSCA in temone ſedit, & Mulam increpans,
Quàm tarda es, inquit : non vis citiùs progredi?
Vide ne dolone collum compungam tibi.
Reſpondit illa : Verbis non moveor tuis,
Sed iſtum timeo, ſellâ qui primâ ſedens,
Jugum flagello temperat lento meum,
Et ora frenis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer frivolam inſolentiam,
Nam ubi tricandum, & ubi currendum eſt, ſcio.

Hâc derideri fabulâ meritò poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

## FABULA VII.

### CANIS, ET LUPUS.

QUAM dulcis ſit libertas, breviter proloquar.

Cani perpaſto, macie confectus Lupus
Fortè occurrit : ſalutantes dein invicem,
Ut reſtiterunt : Unde ſic quæſo nites,
Aut quo cibo feciſti tantùm corporis ?
Ego qui ſum longè fortior, pereo fame.
Canis ſimpliciter : Eadem eſt conditio tibi,
Præſtare domino ſi par officium potes.
Quod ? inquit ille. Cuſtos ut ſis liminis,
A furibus tuearis & noctu domum.
Ego verò ſum paratus : nunc patior nives,
Imbreſque, in ſilvis aſperam vitam trahens ;
Quantò eſt facilius mihi ſub tecto vivere,
Et otioſum largo ſatiari cibo !
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aſpicit
Lupus a catenâ collum detritum canis.
Unde hoc, amice ? Nihil eſt. Dic, quæſo, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, & vigilem nox cùm venerit :
Crepuſculo ſolutus, quà viſum eſt, vagor.
Adfertur ultro panis ; de menſâ ſuâ
Dat oſſa dominus, fruſta dat familia,
Et quod faſtidit quiſque pulmentarium.

Sic ſine labore venter impletur meus.
Age, ſi quò abire eſt animus, eſt licentia?
Non planè eſt, inquit. Fruere, quæ laudas, Canis:
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

## FABULA VIII.

### FRATER, ET SOROR.

PRÆCEPTO monitus, ſæpe te conſidera.

Habebat quidam filiam turpiſſimam,
Idemque inſignem pulchrâ facie filium.
Hi ſpeculum, in cathedrâ matris ut poſitum fuit,
Pueriliter ludentes, fortè inſpexerant:
Hic ſe formoſum jactat: illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit, læſura invicem,
Magnâque invidiâ criminatur filium,
Vir natus, quòd rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque, & carpens oſcula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo;
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis,
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

## FABULA IX.

### SOCRATES AD AMICOS.

VULGARE amici nomen, ſed rara eſt fides.

Cùm parvas ædes ſibi fundaſſet Socrates,
(Cujus non fugio mortem, ſi famam adſequar,
Et cedo invidiæ, dummodo abſolvar cinis.)
E populo ſic neſcio quis, ut fieri ſolet:
Quæſo, tam anguſtam, talis vir, ponis domum
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

## FABULA X.

### POETA DE CREDERE ET NON CREDERE.

PERICULOSUM eſt credere; & non credere.
Utriuſque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercæ creditum eſt;
Caſſandræ quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda eſt veritas ſemper priùs
Quàm ſtultè prava judicet ſententia.
Sed fabuloſam ne vetuſtatem eleves,
Narrabo tibi, memoriâ quod factum eſt meâ.

Maritus quidam cùm dilĭgeret conjugem,

Togamque puram jam pararet filio,
Seductus in ſecretum a liberto eſt ſuo,
Sperante heredem ſuffici ſe proximum.
Hic cùm de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis caſtæ mulieris,
Adjecit id quod ſentiebat maximè
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domûs.
Incenſus ille falſo uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subſedit: deinde noctu ſubitò januam
Intravit, rectà cubiculum uxoris petens;
In quo dormire natum mater juſſerat,
Ætatem adultam ſervans diligentiùs.
Dum quærunt lumen, dum concurſant familia,
Iræ furentis impetum non ſuſtinens,
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Ut ſentit tonſum, gladio pectus tranſigit,
Nihil reſpiciens, dum dolorem vindicet.
Lucernâ adlatâ, ſimul adſpexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo;
Sopita primo quæ nil ſomno ſenſerat:
Repræſentavit in ſe pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas ſtrinxerat.
Accuſatores poſtularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros.
Maligna inſontem deprimit ſuſpicio,
Quòd bona poſſideat. Stant patroni fortiter.
Cauſam tuentes innocentis feminæ.

A Divo Auguſto tunc petiere judices,
Ut adjuvaret jurisjurandi fidem,
Quando ipſos error implicuiſſet criminis.
Qui poſtquam tenebras diſpulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis repperit,
Luat, inquit, pœnas cauſa libertus mali.
Namque orbam nato ſimul & privatam viro,
Miſerandam potiùs, quàm damnandam exiſtimo.
Quòd ſi delata perſcrutatus crimina
Paterfamilias eſſet, ſi mendacium
Subtiliter limaſſet, a radicibus
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.

Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim,
Quandoquidem & illi peccant, quos minimè putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Hoc admonere ſimplices etiam poteſt,
Opinione alterius ne quid ponderent:
Ambitio namque diſſidens mortalium,
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.

Hæc exſecutus ſum propterea pluribus,
Brevitate quoniam nimiâ quoſdam offendimus.

## FABULA XI.

### EUNUCHUS AD IMPROBUM.

EUNUCHUS litigabat cum quodam improbo,
Qui ſuper obſcena dicta, & petulans jurgium,
Damnum inſectatus eſt amiſſi corporis.
En, ait, hoc unum eſt, cur laborem validiùs,
Integritatis teſtes quia deſunt mihi.
Sed quid fortunæ ſtultè delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

## FABULA XII.

### PULLUS AD MARGARITAM.

IN ſterquilinio Pullus gallinaceus
Dum quærit eſcam, margaritam repperit.
Jaces indigno, quanta res, inquit, loco?
Te ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui!
Olim rediſſes ad ſplendorem priſtinum.
Ego quî te inveni, potior cui multò eſt cibus?
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quidquam potes.

Hoc illis narro qui me non intelligunt.

## FABULA XIII.

### APES, ET FUCI VESPA JUDICE.

APES in altâ quercú fecerant favos:
Hos fuci inertes eſſe dicebant ſuos.
Lis ad forum deducta eſt, Veſpâ judice;
Quæ genus utrumque noſſet cùm pulcherrime,
Legem duabus hanc propoſuit partibus:
Non inconveniens corpus, & par eſt color,
In dubium planè res ut meritò venerit;
Sed, ne religio peccet imprudens mea,
Alvos accipite, & ceris opus infundite,
Ut ex ſapore mellis, & formâ favi,
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recuſant; Apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit ſententiam:
Apertum eſt quis non poſſit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum reſtituo ſuum.

Hanc præteriſſem fabulam ſilentio,
Si pactam Fuci non recuſaſſent fidem.

FABULA

## FABULA XIV.

### ÆSOPUS LUDENS.

PUERORUM in turbâ quidam ludentem Atticus
Æſopum nucibus cùm vidiſſet, reſtitit,
Et quaſi delirum riſit. Quod ſenſit ſimul
Deriſor potiùs, quàm deridendus, ſenex,
Arcum retenſum poſuit in mediâ viâ:
Heus, inquit, ſapiens, expedi quid fecerim.
Concurrit populus; ille ſe torquet diu,
Nec quæſtionis poſitæ cauſam intelligit:
Noviſſimè ſuccumbit. Tum victor ſophus:
Citò rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris:
At ſi laxaris, cùm voles, erit utilis.

Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

## FABULA XV.

### CANIS AD AGNUM.

INTER capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, erras, non eſt hic mater tua;
Oveſque ſegregatas oſtendit procul.
Non illam quæro, quæ, cùm libitum eſt, concipit,
Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Noviſſimè prolapſam effundit ſarcinam;
Verùm illam, quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.
Tamen illa eſt melior quæ te peperit. Non ita eſt.
Unde illa ſcivit niger an albus naſcerer?
Age porrò ſciſſet: cùm crearer maſculus,
Beneficium magnum ſanè natali dedit,
Ut exſpectarem lanium in horas ſingulas.
Cujus poteſtas nulla in gignendo fuit,
Cur hac ſit potior, quæ jacentis miſerita eſt,
Dulcemque ſponte præbet benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non neceſſitas.

His demonſtrare voluit auctor verſibus,
Obſiſtere homines legibus, meritis capi.

## FABULA XVI.

### CICADA, ET NOCTUA.

HUMANITATI qui ſe non accommodat,
Plerumque pœnas oppetit ſuperbiæ.

Cicada acerbum Noctuæ convicium
Faciebat, ſolitæ victum in tenebris quærere,
Cavoque ramo capere ſomnum interdiu.
Rogata eſt, ut taceret : multò validius
Clamare cœpit. Rurſus admotâ prece,
Accenſa magis eſt. Noctua ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba contemni ſua,
Hâc eſt adgreſſa garrulam fallaciâ.
Dormire quia me non ſinunt cantus tui,
Sonare citharâ quos putes Apollinis,
Potare eſt animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit : ſi non faſtidis, veni ;
Unà bibamus. Illa, quæ arebat ſiti,
Simul cognovit vocem laudari ſuam,
Cupidè advolavit. Noctua egreſſa e cavo,
Trepidantem conſectata eſt, & leto dedit.
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

## FABULA XVII.

### ARBORES IN DEORUM TUTELA.

OLIM, quas vellent eſſe in tutelâ ſuâ,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybebæ, populus celſa Herculi.
Minerva admirans : Quare ſteriles ſumerent ?
Interrogavit. Cauſam dixit Jupiter :
Honorem fructu ne videamur vendere.
At mehercules narrabit quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum eſt gratior.
Tum ſic Deorum genitor, atque hominum ſator :
O nata, meritò ſapiens dicêre omnibus ;
Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Nihil agere, quod non proſit, fabella admonet.

## FABULA XVIII.

### PAVO AD JUNONEM.

PAVO ad Junonem venit, indignè ferens,
Cantus luſcinii quod ſibi non tribuerit:
Illam eſſe cunctis auribus admirabilem,
Se derideri, ſimul ac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratiâ dixit Dea:
Sed formâ vincis, vincis magnitudine:
Nitor Smaragdi collo præfulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.
Quò mî, inquit, mutam ſpeciem, ſi vincor ſono?
Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, luſcinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina,
Omneſque propriis ſunt contentæ dotibus.

Noli adfectare quod tibi non eſt datum,
Deluſa ne ſpes ad querelam recidat.

## FABULA XIX.

### ÆSOPUS AD GARRULUM.

ÆSOPUS domino cùm eſſet ſolus familia,
Parare cenam juſſus eſt maturiùs.
Ignem ergo quærens, aliquot luſtravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque rectà per forum
Cœpit redire. Quidam e turbâ garrulus:
Æſope, medio ſole quid cum lumine?
Hominem, inquit, quæro; & abiit feſtinans domum.

Hoc ſi moleſtus ille ad animum rettulit,
Senſit profectò, ſe hominem non viſum ſeni,
Intempeſtivè qui occupato adluſerit.

# EPILOGUS.

## POETA.

SUPERSUNT mihi quæ ſcribam, ſed parco ſciens:
Primùm, eſſe tibi ne videar moleſtior,
Deſtringit quem multarum rerum varietas.
Dein, ſi quis eadem fortè conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui:
Quamvis naturæ tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.
Brevitatis noſtræ præmium ut reddas peto,
Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem;
Nam vita morti propior eſt quotide:
Et hoc minùs perveniet ad me muneris,
Quò plus conſumet temporis dilatio.
Si citò rem perages, uſus fiet longior:
Fruar diutiùs, ſi celeriùs cepero.
Languentis ævi dum ſunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus eſt. Olim ſenio debilem
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua,
Cùm jam deſierit eſſe beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces exiſtimo,
Proclivis ultro cùm ſit miſericordia.
Sæpe impetravit veniam confeſſus reus,
Quantò innocenti juſtiùs debet dari?
Tuæ ſunt partes, fuerant aliorum priùs,

Dein ſimili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides;
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus, quem propoſuit terminum,
Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius,
A noxiorum premitur inſolentiis.
Qui ſint, requires: apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer ſententiam,
Palam mutire plebeio piaculum eſt;
Dum ſanitas conſtabit, pulchre meminero.

EXPLICIT LIBER III.

L. 4. F. 2.

# LIBER QUARTUS.

## *PROLOGUS.*

### POETA AD PARTICULONEM.

CUM deſtinaſſem operis habere terminum,
In hoc, ut aliis eſſet materiæ ſatis,
Conſilium tacito corde damnavi meum.
Nam ſi quis etiam talis eſt tituli artifex,
Quo pacto divinabit quidnam omiſerim,
Ut illud ipſum cupiat famæ tradere;
Sua cuique cùm ſit animi cogitatio
Colorque proprius? Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Æſopeas, non Æſopi nomino,

Quaſi paucas oſtenderit, ego plures diſſero,
Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis.
Quartum libellum tu dum Variæ perleges,
Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.
Mihi parta laus eſt, quòd tu, quòd ſimiles tui,
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longâ judicatis memoriâ.
In literarum ire plauſum deſidero.

## FABULA I.

### *ASINUS ET GALLI.*

## FABULA II.

### *MUSTELA ET MURES.*

QUI natus eſt infelix, non vitam modò
Triſtem decurrit; verùm poſt obitum quoque
Perſequitur illum dura fati miſeria.

Galli Cybebes circùm quæſtu ducere
Aſinum ſolebant, bajulantem ſarcinas.
Is cùm labore & plagis eſſet mortuus,
Detractâ pelle, ſibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio ſuo,
Quidnam feciſſent? Hoc locuti ſunt modo:
Putabat ſe poſt mortem ſecurum fore:
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

Joculare tibi videtur ; & ſanè levi,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus:
Sed diligenter intuere has nænias,
Quantam ſub illis utilitatem reperies ?
Non ſemper ea ſunt, quæ videntur ; decipit
Frons prima multos : rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus ſine mercede exiſtimer,
Fabellam adjiciam de muſtelâ & muribus.

Muſtela, cùm annis & ſenectâ debilis
Mures veloces non valeret adſequi,
Involvit ſe farinâ, & obſcuro loco
Abjecit negligenter. Mus, eſcam putans,
Adſiluit, at compreſſus occubuit neci.
Alter ſimiliter ; deinde perit tertius.
Aliquot ſecutis, venit & retorridus,
Qui ſæpe laqueos, & muſcipula effugerat ;
Proculque inſidias cernens hoſtis callidi :
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces.

## FABULA III.

### VULPIS, ET UVA.

FAME coacta Vulpis altâ in vineâ
Uvam adpetebat, ſummis ſaliens viribus.
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere.

Qui facere quæ non poſſunt, verbis elevant,
Adſcribere hoc debebunt exemplum ſibi.

## FABULA IV.

### EQUUS, ET APER.

EQUUS ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe Aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis eſt. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis, quem dorſo levans,
Rediit ad hoſtem. Jactis hunc telis eques
Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur.
Lætor tuliſſe auxilium me precibus tuis:
Nam prædam cepi, & didici quàm ſis utilis;
Atque ita coegit frenos invitum pati.
Tum mæſtus ille: Parvæ vindictam rei
Dum quæro demens, ſervitutem repperi.

Hæc iracundos admonebit fabula,
Impunè potiùs lædi, quàm dedi alteri.

## FABULA V.

### POETA.

PLUS esse in uno sæpe, quàm in turbâ, bonî;
Narratione posteris tradam brevi.

Quidam decedens tres reliquit filias:
Unam formosam, & oculis venantem viros;
At alteram, lanificam & frugi, rusticam;
Devotam vino tertiam, & turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuat: sed tali modo:
Ne data possideant aut fruantur; tum, simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet; mater sedula
Jurisperitos consulit: nemo expedit,
Quo pacto non possideant quod fuerit datum,
Fructumve capiant; deinde, quæ tulerint nihil
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumpta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens.
Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros;
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,

Boves, jumenta, & inſtrumentum ruſticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, & delicatos hortulos.
Sic deſtinata dare cùm vellet ſingulis,
Et adprobaret populus, qui illas noverat,
Æſopus mediâ ſubitò in turbâ conſtitit.
O ſi maneret condito ſenſus patri,
Quàm graviter ferret, quòd voluntatem ſuam
Interpretari non potuiſſent Attici!
Rogatus deinde, ſolvit errorem omnium.
Domum & ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ ruſticæ:
Veſtem, uniones, pediſequos, & cetera
Illi adſignate, vitam quæ luxu trahit:
Agros, vites, & pecora cum paſtoribus
Donate mœchæ. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, ut vinum petat;
Agros abjiciet mœcha, ut ornatum paret:
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quâcumque ſummâ tradet luxuriæ domum.
Sic nulla poſſidebit quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint ſingulæ.

Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis repperit ſollertia.

## FABULA VI.

### *PUGNA MURIUM, ET MUSTELARUM.*

CUM victi Mures Muſtelarum exercitu,
( Hiſtoria quorum in tabernis pingitur )
Fugerent, & artos circùm trepidarent cavos;
Ægrè recepti, tamen evaſerunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conſpicuum in prælio
Haberent ſignum quod ſequerentur milites,
Hæſere in portis, ſuntque capti ab hoſtibus:
Quos immolatos victor avidis dentibus,
Capacis alvi merſit tartareo ſpecu.

Cumcunque populum triſtis eventus premit
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili præſidio latet.

## FABULA VII.

### PHÆDRUS.

Tu qui, naſute, ſcripta deſtringis mea,
Et hoc jocorum legere faſtidis genus,
Parvâ libellum ſuſtine patientiâ,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æſopus novis.

Utinam nec umquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidiſſet Theſſalâ;
Nec ad profeſſæ mortis audacem viam
Fabricaſſet Argus opere Palladio ratem,
Inhoſpitalis prima quæ Ponti ſinus
Patefecit, in perniciem Graiûm & Barbarûm.
Namque & ſuperbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ ſcelere Medeæ jacent,
Quæ ſævum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam,
Hic cæde patris Peliadum infecit manus.

Quid tibi videtur? Hoc quoque inſulſum eſt, ais,
Falſóque dictum; longè quia vetuſtior
Ægea Minos claſſe perdomuit freta,
Juſtoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergo poſſum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?

Noli moleſtus eſſe omnino literis,
Majorem exhibeant ne tibi moleſtiam.

Hoc illis dictum eſt, ſi qui ſtulti nauſeant;
Et, ut putentur ſapere, cælum vituperant.

## FABULA VIII.

### VIPERA, ET LIMA.

MORDACIOREM qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.

In officinam fabri venit Vipera.
Hæc cùm tentaret, ſi qua res eſſet cibi,
Limam momordit. Illa contrà contumax:
Quid me, inquit, ſtulta, dente captas lædere,
Omne adſuevi ferrum quæ conrodere?

## FABULA IX.

### *VULPIS, ET HIRCUS.*

HOMO in periclum ſimul ac venit callidus,
Reperire effugium quærit alterius malo.

Cùm decidiſſet Vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus ſitiens in eumdem locum;
Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor,
Et copioſus? Illa fraudem moliens:
Deſcende, amice; tanta bonitas eſt aquæ,
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe barbatus; tum vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus:
Hircumque clauſo liquit hærentem vado.

## FABULA X.

### *DE VITIIS HOMINUM.*

PERAS impoſuit Jupiter nobis duas;
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.

Hac re videre noſtra mala non poſſumus;
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

## FABULA XI.

### *FUR ARAM COMPILANS.*

LUCERNAM fur accendit ex arâ Jovis,
Ipſumque compilavit ad lumen ſuum:
Onuſtus ſacrilegio cùm diſcederet,
Repentè vocem ſancta miſit religio:
Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa, ut non offendar ſubripi:
Tamen, ſceleſte, ſpiritu culpam lues,
Olim cùm adſcriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noſter facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto eſſe tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flammâ Deûm,
Nec de lucernâ fas eſt accendi ſacrum.

Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quàm qui repperit
Significat primò, ſæpe, quos ipſe alueris,
Tibi inveniri maximè contrarios.
Secundò oſtendit, ſcelera non irâ Deûm,
Fatorum dicto ſed puniri tempore.
Noviſſimè interdicit, ne cum malefico
Uſum bonus conſociet ullius rei.

## FABULA XII.

### MALAS ESSE DIVITIAS. HERCULES, ET PLUTUS.

OPES inviſæ meritò ſunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.

Cælo receptus propter virtutem Hercules
Cùm gratulantes perſalutaſſet Deos,
Veniente Pluto, qui Fortunæ eſt filius,
Avertit oculos. Cauſam quæſivit Pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus eſt,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

## FABULA XIII.

### LEO REGNANS.

UTILIUS homini nihil eſt, quàm rectè loqui:
Probanda cunctis eſt quidem ſententia,
Sed ad perniciem ſolet agi ſinceritas.

Cùm ſe ferarum regem feciſſet Leo,
Et æquitatis vellet famam conſequi,
A priſtinâ deflexit conſuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,

Sancta incorruptâ jura reddebat fide.
*Pax alta raraque vigebat concordia,*
*Quam dura fregit jejuni regis fames.*
*Latrante ſtomacho vique effœtâ corporis,*
*Angi ſe finxit faucium ægritudine.*
*Statim adſtantes de morbo interrogat feras.*
*Illi proximus, & adflatus tetro halitu,*
*Putere fauces ait Urſus fincerior;*
*Odioſæ veritatis brevi pœnas luit.*
*Timens & adulans contrà jactat Simius*
*Et caſiam & cinnamum exhalare Principem.*
*Subitâ diſcerptum eſt lanienâ mendacium.*
*Tum cauta Vulpis orat ut ſuam Leo*
*Infirmitatem excuſet; mucumque & malam*
*Tenere nares pituitam, quæ ſibi*
*Olfactum impediat. Hac arte evaſit necem.*

*Nocuere multis veritas & falſitas.*
*Cum Principibus eſt potior ſæpe argutia.*

# FABULA XIV.

## PROMETHEUS.

*ÆSOPUM juvenes cùm conveniſſent duo*
*Alter quæſivit originem libidinis*
*Cauſamque luctûs : Illi reſpondit ſenex.*

*Prometheus cùm mortale fingeret genus,*
*Et intractabile obdureſceret lutum,*
*Hoc artifex mollivit lacrimis, non aquâ.*
*Luctûs hinc cauſa multiplex mortalibus.*
*Quibus autem major vis adfuſa partibus*
*Lacrimarum, his plus eſt luctûs & libidinis.*
*Senſit Prometheus, tentavitque remedium,*
*Sed multò fecit gravius medicinâ malum;*
*Novoſque terrigenas labe adſperſit novâ*
Poſtquam lavare cœpit pœnitentiâ
A fictione veretri linguam mulieris.
Adfinitatem traxit inde obſcenitas.

## FABULA XV.

### IDEM PROMETHEUS.

ROGAVIT alter, tribadas & molles mares
Quæ ratio procreaſſet : Expoſuit ſenex.

Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
Qui, ſimul offendit ad fortunam, frangitur,
Naturæ partes, veſte quas celat pudor,
Cùm ſeparatim toto finxiſſet die,
Aptare mox ut poſſet corporibus ſuis,
Ad cenam eſt invitatus ſubitò a Libero;
Ubi inrigatus multo venas nectare,
Serò domum eſt reverſus titubanti pede :
Tum ſemiſomno corde, & errore ebrio,
Adplicuit virginale generi maſculo,
Et maſculina membra adplicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

## FABULA XVI.

### CAPELLÆ, ET HIRCI.

BARBAM Capellæ cùm impetraſſent ab Jove,
Hirci mærentes indignari cœperunt,
Quòd dignitatem feminæ æquaſſent ſuam.
Sinite, inquit, illas gloriâ vanâ fruî,
Et uſurpare veſtri ornatum muneris,
Pares dum non ſint veſtræ fortitudinis.

Hoc argumentum monet, ut ſuſtineas tibî
Habitu eſſe ſimiles, qui ſunt virtute impares.

## FABULA XVII.

### GUBERNATOR, ET NAUTÆ.

CUM de fortunis quidam quereretur ſuis,
Æſopus finxit conſolandi gratiâ.

Vexata ſævis navis tempeſtatibus,
Inter vectorum lacrimas & mortis metum;
Faciem ad ſerenam ſubitò mutato die,
Ferri ſecundis tuta cœpit flatibus,
Nimiâque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum Gubernator ſophus;

Parcè

Parcè gaudere oportet, & ſenſim queri,
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

## FABULA XVIII.

### CANUM LEGATI AD JOVEM.

CANES legatos olim miſere ad Jovem,
Meliora vitæ tempora oratum ſuæ,
Ut ſeſe eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus ſibi conſperſum quòd panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti ſunt legati non celeri pede,
Dum naribus ſcrutantur eſcam in ſtercore.
Citati non reſpondent: vix tandem invenit
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
Tum verò vultum magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulſi verò fuſtibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
Mirati ſibi legatos non revertier,
Turpe æſtimantes aliquid commiſſum a ſuis,
Poſt aliquod tempus alios adſcribi jubent.
Rumor legatos ſuperiores prodidit:
Timentes rurſus aliquid ne ſimile accidat,
Odore canibus anum, ſed multo replent,
Mandata dant; citique mittuntur: ſtatim
Adeunt. Rogantes aditum, continuò impetrant.

Conſedit genitor tum Deorum maximus,
Quaſſatque fulmen : tremere cœpere omnia.
Canes confuſi, ſubitus quòd fuerat fragor,
Repentè odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes vindicandam injuriam.
Sic eſt locutus ante pœnam Jupiter:
Legatos non eſt regis non dimittere,
Nec eſt difficile pœnas culpæ imponere:
Sed hoc feretis pro judicio præmium.
Non veto dimitti, verùm cruciari fame,
Ne ventrem continere non poſſint ſuum.
Illi autem, qui miſerunt vos tam futiles,
Numquam carebunt hominis contumeliâ.
Mandantur antro, nec dimittuntur ſtatim.
Ita nunc legatos exſpectant & poſteri:
Novumque venire qui videt, culum olfacit.

## FABULA XIX.

### HOMO, ET COLUBRA.

QUI fert malis auxilium, poſt tempus dolet.

Gelu rigentem quidam Colubram ſuſtulit,
Sinuque fovit contra ſe ipſe miſericors:
Namque ut refecta eſt, necuit hominem protinus.
Hanc alia cùm rogaret cauſam facinoris,
Reſpondit: Ne quis diſcat prodeſſe improbis.

## FABULA XX.

### VULPIS, ET DRACO.
### IN AVARUM.

VULPIS cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altiùs cuniculos,
Pervenit ad Draconis ſpeluncam intimam,
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
Hunc ſimul aſpexit: Oro ut imprudentiæ
Des primùm veniam: deinde ſi pulchre vides,
Quàm non conveniens aurum ſit vitæ meæ,
Reſpondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum eſt præmium,
Ut careas ſomno, & ævum in tenebris exigas?

Nullum, inquit ille : verùm hoc ab ſummo mihi
Jove adtributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quidquam ? Sic fatis placet.
Nolo iraſcaris, liberè ſi dixero :
Diis eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.

Abiturus illuc quò priores abierunt,
Quid mente cæcâ miſerum torques ſpiritum ?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui thure ſuperos, ipſe te fraudas cibo,
Qui triſtis audis muſicum citharæ ſonum,
Quem tibiarum macerat jucunditas,
Obſoniorum pretia cui gemitum exprimunt :
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cælum fatigas ſordido perjurio ;
Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucri.

## FABULA XXI.

### PHÆDRUS.

QUID judicare cogitet Livor modò,
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.
Quidquid putabit esse dignum memoriæ,
Æsopi dicet; si quid minùs adriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur cœptum propositi ordinem.

## FABULA XXII.

### NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

HOMO doctus in se semper divitias habet.

Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quò paupertatem sustineret faciliùs,
Circumire cœpit urbes Asiæ nobiles,
Mercede acceptâ laudem victorum canens.
Hoc genere quæstûs postquam locuples factus est,
Redire in patriam voluit cursu pelagio.
(Erat autem, ut aiunt, natus in Ceâ insulâ.)

Aſcendit navem, quam tempeſtas horrida,
Simul & vetuſtas medio diſſolvit mari.
Hi zonas, illi res pretioſas colligunt,
Subſidium vitæ. Quidam curioſior:
Simonide, tu ex opibus nil ſumis tuis?
Mecum, inquit, mea ſunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Prædones adſunt, rapiunt quod quiſque extulit,
Nudos relinquunt. Fortè Clazomenæ propè
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic literarum quidam ſtudio deditus,
Simonidis qui ſæpe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus,
Sermone ab ipſo cognitum, cupidiſſimè
Ad ſe recepit; veſte, nummis, familiâ
Hominem exornavit: ceteri tabulam ſuam
Portant, rogantes victum; quos caſu obvios
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum eſſe cuncta. Vos quod rapuiſtis, perit.

## FABULA XXIII.

### MONS PARTURIENS.

MONS parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exſpectatio.
At ille murem peperit. Hoc ſcriptum eſt tibi
Qui, magna cùm minaris, extricas nihil.

## FABULA XXIV.

### FORMICA, ET MUSCA.

FORMICA & Muſca contendebant acriter,
Quæ pluris eſſet. Muſca ſic cœpit prior:
Conferre noſtris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta præguſto Deûm,
Moror inter aras, templa perluſtro omnia;
In capite regis ſedeo, cùm viſum eſt mihi,
Et matronarum caſta delibo oſcula:
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum ſimile tibi contingit, ruſtica!
Eſt glorioſus ſanè convictus Deûm,
Sed illi qui invitatur, non qui inviſus eſt.
Aras frequentas, nempe abigeris quò venis:
Reges commemoras & matronarum oſcula:
Superba jactas tegere quod debet pudor.

Nihil laboras, ideo cùm opus eſt, nil habes.
Ego granum in hiemem cùm ſtudiosè congero,
Te circa murum video paſci ſtercore.
Æſtate me laceſſis, cur brumâ ſiles?
Mori contractam cùm te cogunt frigora,
Me copioſa recipit incolumem domus.
Satis profectò rettudi ſuperbiam.

Fabella talis hominum diſcernit notas
Eorum qui ſe falſis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet ſolidum decus.

## FABULA XXV.

### SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

QUANTUM valerent inter homines literæ,
Dixi ſuperiùs: quantus nunc illis honos
A ſuperis ſit tributus, tradam memoriæ.

Simonides idem ille, de quo retuli,
Victoris laudem cuidam pyctæ ut ſcriberet,
Certo conduxit pretio: ſecretum petit.
Exigua cùm frenaret materia impetum,
Uſus poetæ more eſt & licentiâ,
Atque interpoſuit gemina Ledæ ſidera,
Auctoritatem ſimilis referens gloriæ.
Opus adprobavit: ſed mercedis tertiam
Accepit partem. Cùm reliquam poſceret:

Illi, inquit, reddent quorum ſunt laudes duæ.
Verùm ne iratè dimiſſum te ſentiam,
Ad cenam mihi promitte; cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, & dolens injuriâ,
Ne malè dimiſſus gratiam corrumperet,
Promiſit. Rediit horâ dictâ, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu læta reſonabat domus:
Repentè duo cùm juvenes, ſparſi pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora,
Humanam ſupra formam, cuidam ſervulo
Mandant ut ad ſe provocet Simonidem;
Illius intereſſe ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ ſubitò oppreſſit ceteros;
Nec ulli juvenes ſunt reperti ad januam.
Ut eſt vulgatus ordo patratæ rei,
Omnes ſcierunt numinum præſentiam
Vati dediſſe vitam, mercedis loco.

## EPILOGUS.

### *POETA AD PARTICULONEM.*

ADHUC ſuperſunt multa quæ poſſim loqui,
Et copioſa abundat rerum varietas;
Sed temperatæ ſuaves ſunt argutiæ:
Immodicæ offendunt. Quare, vir ſanctiſſime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certè brevitatem adproba.
Quæ commendari tantò debet juſtiùs,
Quantò Poëtæ ſunt moleſti validiùs.

*EXPLICIT LIBER IV.*

# LIBER QUINTUS.

## *PROLOGUS.*

### POETA.

ÆSOPI nomen ſicubi interpoſuero,
Cui reddidi jam pridem quidquid debui,
Auctoritatis eſſe ſcito gratiâ;
Ut quidam artifices noſtro faciunt ſæculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adſcripſerunt Praxitelen, Scopam
Æri, Myronem argento, tabulæ Zeuxidem.
Adeò fucatæ plus vetuſtati favet
Invidia mordax, quàm bonis præſentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

## FABULA I.

### *DEMETRIUS, ET MENANDER.*

DEMETRIUS, qui dictus eſt Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruunt;
FELICITER, ſubclamant. Ipſi principes
Illam oſculantur, quâ ſunt oppreſſi, manum,
Tacitè gementes triſtem fortunæ vicem.
Quin etiam reſides & ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat, repunt ultimi.
In queis Menander, nobilis comœdiis,
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.
Hunc ubi Tyrannus vidit extremo agmine:
Quinam cinædus ille in conſpectum meum
Audet venire? Reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor. Mutatus ſtatim:
*Homo, inquit, fieri non poteſt venuſtior;*
*Vatemque & ſcripta meritis tollit honoribus.*

*Exemplum ſcriptor vertat ad prudentiam.*
*Ingenio, non luxu, paratur claritas.*

## FABULA II.

### VIATORES, ET LATRO.

Duo cùm incidiſſent in latronem milites,
Unus profugit; alter autem reſtitit,
Et vindicavit ſeſe forti dexterâ.
Latrone occiſo, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein rejectâ penulâ:
Cedo, inquit, illum; jam curabo ſentiat,
Quos adtentarit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem iſtis verbis ſaltem adjuviſſes modò:
Conſtantior fuiſſem, vera exiſtimans:
Nunc conde ferrum, & linguam pariter futilem,
Ut poſſis alios ignorantes fallere.
Ego qui ſum expertus, quantis fugias viribus,
Scio quàm virtuti non ſit credendum tuæ.

Illi adſignari debet hæc narratio,
Qui re ſecundâ fortis eſt, dubiâ fugax.

## FABULA III.

### CALVUS, ET MUSCA.

CALVI momordit Muſca nudatum caput;
Quam opprimere captans, alapam ſibi duxit gravem.
Hunc illa inridens: Punctum volucris parvulæ
Voluiſti morte ulciſci: quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam?
Reſpondit: Mecum facilè redeo in gratiam,
Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio.
Sed te, contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum ſanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.

Hoc argumentum veniam ei dari docet,
Qui caſu peccat; nam qui conſilio eſt nocens
Illum eſſe quavis pœnâ dignum judico.

## FABULA IV.

### HOMO, ET ASINUS.

QUIDAM immolaſſet verrem cùm ſancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſuâ,
Aſello juſſit reliquias poni hordei.
Quas aſpernatus ille, ſic locutus eſt:
Tuum libenter prorſus adpeterem cibum,
Niſi qui nutritus illo eſt, jugulatus foret.

Hujus reſpectu fabulæ deterritus,
Periculoſum ſemper vitavi lucrum.
Sed dices: Qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprenſi perierint:
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas eſt bono, multis malo.

## FABULA V.

### SCURRA, ET RUSTICUS.

PRAVO favore labi mortales ſolent,
Et pro judicio dum ſtant erroris ſui,
Ad pœnitendum rebus manifeſtis agi.

Facturus ludos dives quidam & nobilis,
Propoſito cunctos invitavit præmio,
Quam quiſque poſſet, ut novitatem oſtenderet.
Venere artifices laudis ad certamina.
Quos inter Scurra notus urbano ſale,
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro numquam prolatum foret
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulo antè vacua turbam deficiunt loca.
In ſcenâ verò poſtquam ſolus conſtitit
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipſa fecit exſpectatio.
Ille in ſinum repentè demiſit caput,
Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſuâ,
Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,
Et excuti juberent. Quo facto, ſimul
Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Ruſticus: Non mehercule
Me vincet, inquit: Et ſtatim profeſſus eſt

Idem facturum meliùs se postridie.
Fit turba major ; jam favor mentes tenet,
Et derisuri, non spectaturi, sedent.
Uterque prodit : Scurra degrunnit prior,
Movetque plausus, & clamores suscitat.
Tum simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere (quod faciebat scilicet:
Sed in priore quia nil compererat latens,
*Exsultans turba nihil reformidat doli.*)
Pervellit aurem vero quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Adclamat populus : Scurram multò similiùs
Imitatum, & cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem exprobrans;
En hic declarat quales sitis judices.

## FABULA VI.

### *Duo Calvi.*

INVENIT Calvus fortè in trivio pectinem.
Accessit alter æquè defectus pilis :
Heia, inquit, in commune quodcumque est lucri.
Ostendit ille prædam, & adjecit simul :
Superûm voluntas favit, sed fato invido
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.

Quem spes delusit, huic querela convenit.

## FABULA VII.

### PRINCEPS TIBICEN.

UBI vanus animus, aurâ captus frivolâ,
Adripuit inſolentem ſibi fiduciam,
Facilè ad deriſum ſtulta levitas ducitur.

Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcenâ dare.
Is fortè ludis (non ſatis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit caſu gravi
Nec opinans, & ſiniſtram fregit tibiam,
Duas cùm dextras maluiſſet perdere.
Inter manus ſublatus, & multùm gemens,
Domum refertur. Aliquot menſes tranſeunt,
Ad ſanitatem dum venit curatio.
Ut ſpectatorum mos eſt, & lepidum genus,
Deſiderari cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari ſaltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat Princeps ingredier. Eum
Reducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.
Qui ſimul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam adfirmant mortuum,
Quidam in conſpectum proditurum ſine morâ.
Aulæo miſſo, devolutis tonitrubus.

Dii ſunt locuti more tranſlatitio.
Tunc Chorus, & ignotum reducto canticum
Imposuit, cujus hæc fuit ſententia:
« Lætare incolumis, Roma, ſalvo Principe. »
In plauſus conſurrectum eſt; jactat baſia
Tibicen; gratulari fautores putat.
Equeſter ordo ſtultum errorem intelligit,
Magnoque riſu canticum repeti jubet.
Iteratur illud: Homo meus ſe in pulpito
Totum proſternit; plaudit inludens eques:
Rogare populus hunc coronam exiſtimat.
Ut verò cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure niveâ faſciâ,
Niveiſque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinæ domûs,
Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

## FABULA VIII.

### TEMPUS.

CURSU volucri pendens in novaculâ,
Calvus, comosâ fronte, nudo corpore,
Quem ſi occuparis, teneas; elapſum ſemel
Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere:
Occaſionem rerùm ſignificat brevem.

Effectus impediret ne ſegnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem temporis.

## FABULA IX.

### TAURUS, ET VITULUS.

ANGUSTO in aditu Taurus luctans cornibus,
Cùm vix intrare poſſet ad præſepia,
Monſtrabat Vitulus quo ſe pacto plecteret:
Tace, inquit: antè hoc novi quàm tu natus es.

Qui doctiorem emendat, ſibi dici putet.

## FABULA X.

### VENATOR, ET CANIS.

ADVERSUS omnes fortis veloces feras
Canis cùm domino ſemper feciſſet ſatis,
Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquando objectus hiſpidi pugnæ Suis,
Adripuit aurem: ſed carioſis dentibus
Prædam dimiſit. Hic tum Venator dolens,
Canem objurgabat. Cui Latrans contrà ſenex:
Non te deſtituit animus, ſed vires meæ.
Quod fuimus laudas, dum damnas quod non ſumus.

Hoc cur, Philete, ſcripſerim, pulchre vides.

# APPENDIX
## *FABULARUM*
### A
## *MARQUARDO GUDIO*
### *e Manuſcripto codice Divionenſi deſcriptarum.*

## FABULA I.

### *MILVUS ÆGROTANS.*

MULTOS cùm menſes ægrotaſſet Miluus,
Nec jam videret eſſe vitæ ſpem ſuæ;
Matrem rogabat, ſancta circumiret loca,
Et pro ſalute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili, ſed opem ne non impetrem,
Vehementer vereor; nam qui delubra omnia
Vaſtando, cuncta polluiſti altaria,
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

## FABULA II.

### *Lepores vitæ pertæsi.*

Qui ſuſtinere non poteſt ſuum malum,
Alios inſpiciat, & diſcat tolerantiam.

Aliquando in ſilvis ſtrepitu magno conciti
Lepores clamant, ſe propter aſſiduos metus
Finire velle vitam. Sic quemdam ad lacum
Venerunt, miſeri quò ſe præcipites darent.
Adventu quorum poſtquam ranæ territæ
Virides in algas miſerè fugientes ruunt:
Heu, inquit unus, ſunt & alii quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam ut ceteri.

## FABULA III.

### *Vulpis, et Jupiter.*

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.

Humanam in ſpeciem cùm vertiſſet Jupiter
Vulpem, regali pellex ut ſedit throno,
Scarabeum vidit prorepentem ex angulo,
Notamque ad prædam celeri proſiluit gradu.
Superi riſere, magnus erubuit Pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit,

His profequutus : Vive quo digna es modo,
Quæ noſtris uti meritis dignè non potes.

## FABULA IV.

### LEO, ET MUS.

NE quis minores lædat, fabula hæc monet.

Leone in ſilvâ dormiente, ruſtici
Luxuriabant mures, & unus ex iis
Super cubantem caſu quodam tranſiit
Expergefactus miſerum Leo celeri impetu
Arripuit : ille veniam ſibi dari rogat,
Supplex fatetur peccatum imprudentiæ.
Hoc Rex ulciſci glorioſum non putans,
Ignovit & dimiſit. Poſt paucos dies
Leo dum vagatur noctu, in foveam decidit.
Captum ut ſe agnovit laqueis, voce maximâ
Rugire cœpit ; cujus immanem ad ſonum
Mus ſubitò accurrens : Non eſt quod timeas, ait,
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum & ligamina
Luſtrare cœpit, cognitoſque dentibns
Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
Sic captum Mus Leonem ſilvis reddidit.

## FABULA V.

### HOMO, ET ARBORES.

PEREUNT ſuis auxilium qui dant hoſtibus.

Factâ bipenni quidàm ab arboribus petit,
Manubrium ut darent e ligno ; quod foret
Firmum : juſſerunt omnes Oleaſtrum dari.
Accepit munus, aptans & manubrium
Cœpit ſecuri magna excidere robora.
Dumque eligebat quæ vellet, ſic Fraxino
Dixiſſe fertur Quercus : Meritò cædimur,

*EXPLICIT FELICITER.*

NOTÆ

# NOTÆ

## IN LIBRUM I.

TIT. *Fabularum Liber primus.* Omiſi *Æſopiarum*; quod redundat, nec reperitur in Mſſ. Pith. & Rem.

Prolog. *Æſopus auctor.* Æſopus Fabulas non reperit, ſed iis tantam ſapientiæ laudem conſecutus eſt, ut auctor haberetur. A Delphis interemptus memoratur exeunte Olympiade LIV, anno ante Chriſtum 560 : immo ſeriùs, cùm fuerit Crœſo regi familiaris, & Delphos ab eo ſit miſſus. Sed mille circiter annis ante Chriſtum Fabulam Accipitris & Luſciniæ ſcripſerat Heſiodus, *Oper. & dies*, I, 200. Antiquior adhuc Fabula Arborum regem ſibi conſtituentium, quam Sichimitis in monte Garizim narravit Joatham, Gedeonis filius, anno 1214 ante Chriſtum. *Judic.* IX, 8. Ducentis ferme poſt annis regem David duabus Fabulis, Divitis & Pauperis, duorumque Filiorum, admonuerant & Nathan propheta, & mulier Thecuitis. II. *Reg.* XII, 1. XIV, 4. Joas quoque, rex Iſrael, Amaſiæ regis Juda vanitatem Fabulâ Cedri & Cardui exploſerat anno ante Chriſtum 825. IV. *Reg.* XIV, 9. & 11. *Paralipomen.* XXV, 18. Singulari quoque brevitate elegantiſſima Fabula Caccabi & Ollæ, nobis *le Pot*

*de terre & le Pot de fer*, propoſita fuerat in *Eccleſiaſtic.* XIII, 2 & 3. De *Locman* & *Bidpaï*, quem vulgò appellamus *Pilpay*, nihil dixero, cùm de eorum ætate minimè conſtet. Immo fortè eſt ipſe Æſopus, qui ſub iis nominibus latitat. Certè pars magna Indicæ doctrinæ a Græciâ eſt profecta, ut probat Indorum aſtronomia.

*Materiam repperit.* Mſſ. Pith. & Rem. Geminatâ literâ producitur prima ſyllaba in *reperit* : quod in multis ſimilibus verbis ſæpe fit, etiam non geminatis literis. Id ſemel monuiſſe ſit ſatis.

*Duplex libelli dos.* Ita Mſ. Rem. In Mſ. Pith. & veteribus editionibus, *mos* ; quâ voce ſæpe uſus eſt Phædrus.

*Prudenti vitam conſilio.* In Mſſ. Pith. Rem. & vet. edit. *prudentis.* Quod malim, & cum tersâ Phædri latinitate magis convenit. Recentiores emendavere, *prudenti. Quæ enim*, inquit Petrus Burmannus, *ſuperbia Phædri foret, ſi prudentem monere ſibi ſumeret ?* Hac ratione minimè moveor. Verùm cùm & *prudenti* dici poſſit, & ſit receptum, nihil mutavi.

FAB. I. *Fauce improbâ.* Bene Mſ. Rem. In Mſ. Pith. & edit. vet. *face.* Unde quidam tentavere, *famę.* At veriùs meliúſque *fauce.*

FAB. II. *Fabellam retulit.* Prima ſyllaba in *retulit* producitur, licèt geminata non ſit litera.

*Hoc merſum limo.* Hoc pavidum ranarum genus merſum limo. Cl. Bentleius emendabat,

*Immerſæ limo cùm laterent diutiùs.*

Eleganter quidem, ſed inutiliter. Nihil in veteribus integrum maneret, ſi invaleſceret illa emendandi licentia.

FAB. III. *Graculus ſuperbus.* Graculus non eſt Pica glandaria, *le Geai*, ut vulgus exiſtimat; & errore vulgi deceptus eſt Cl. Joannes *de la Fontaine* IV, 9. cùm ſcripſit Fabulam, *le Geai paré des plumes du Paon.* At tanta eſt magni viri, etiam errantis, auctoritas, ut apud nos in proverbium ceſſerit *le Geai de la Fable.* Graculus tamen ad corvorum cornicularumque genus pertinet, & verè dicitur *le Choucas.* Illum expreſſit Martialis I. Epigramm. 116.

*Sed quamdam volo nigriorem*
*Formicâ, pice, graculo, cicadâ.*

Corniculam autem dixit Horatius I. Epiſt. III, 18.

*Ne ſi forte ſuas repetitum venerit olim*
*Grex avium plumas, moveat Cornicula riſum*
*Furtivis nudata coloribus.*

*A quo repulſus.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & veteres editiones. Fruſtra emendant Cll. Tollius & Hoogſtratanus, *a quo repulſæ.* Hæc ſit ſatis monuiſſe, ne ſimilibus & inutilibus emendationibus in immenſum noſtræ creſcant notæ.

FAB. IV. *Prædam ab alio ferri putans.* Syllabæ in literam *m* deſinentes ſæpe a Phædro non eli-

duntur. Quod diligenter eſt obſervandum, & multa occurrent exempla. Conſtat ergo metri ratio: nec emendandum fuit, ut quibuſdam placuit, *deferri*, *perferri*, *ab altero ferri*.

*Dimiſit cibum.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtrà Cl. Petr. Burmannus, *demiſit*.

FAB. V. *Socii fuere.* Nihil peccat. Sic apud Propertium II. Eleg. IX, 51. *Sidera ſunt teſtes.* Nec emendandum eſt, *ſociatim iere.*

*Hi cùm cepiſſent.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. Non reponendum, *Hic.*

FAB. VI. *Ranæ ad ſolem.* Si Phædrus, ut veriſimillimum eſt, ſecundâ Fabulâ Tiberii principatum, ſi ſextâ ſcelera Sejani ejuſque nuptias cum Liviâ, ſeu Livillâ, ſorore Germanici, uxore Cæſarum Caii & Druſi, notare voluit, certè & liberrimus & acerrimus fuit cenſor. Nec mirum eſt illum a Cæſareæ domûs adulatoribus improbitatis notam, a Sejano graviſſimas accuſationes multaſque miſerias ſuſtinuiſſe. Vide Tacitum Annal. IV, 3 & 40. & Martialem III. Epigramm. 20.

*Sol cùm vellet ducere.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. Peſſimè emendavit Cl. Petr. Burmannus, *ſolem velle ducere*; ſicque explicat. *Ranæ ſuſtulere clamorem, ſolem velle ducere uxorem clamantes.* In Mſ. Pith. recenti & imperitâ manu emendatum eſt quoque *ſolem.*

FAB. VIII. *Pro quâ cùm pactum.* Bene emendavit Cl. Bentleius. Corruptè in Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. *pro quo cum factu*, vel *facto.*



FAB. IX. *Mortis in ſolatio.* Sic Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. Nec malè. Intelligendum, *inquit*, ut alibi paſſim in Phædri Fabulis. Emendabat Cl. Heinſius, *Mortis en ſolatia.* Quod non receperim, cùm duo ſequentes verſus habeant,

*Noſtra inridebas mala;*
*Simili querelâ fata deploras tua.*

Elegantiſſimus poeta quinque vocibus ſimiliter deſinentibus, ſed neceſſariis, ſextam minimè neceſſariam certè non addidit. Cll. *Sanadon* & *Philippe* tentaverunt, *en ſolatium.* Meliùs quidem, ſed magis recedunt a ſcripturâ Mſſ. codicum.

FAB. XI. *Fugientes ipſe exciperet. Hic auriculas.* Facillimus locus magnam tamen patitur difficultatem. Si cum editionibus veteribus edidero,

*Fugientes ipſe ut exciperet. Hic auriculas*
*Clamore ſubito tollit totis viribus.*

multa peccant. Primò, *ut* redundat, & longiorem efficit verſum. Secundò, contra metri rationem ſecunda ſyllaba brevis eſt in *auriculas.* Tertiò quis ferat Phædrum ſcriptorem optimum duobus uti ſimul ablativis caſibus, *clamore ſubito totis viribus.* Cll. Faber, Hoogſtratanus & recentiores, iis incommodis perculſi, emendavere,

*Fugientes ipſe exciperet. Hic auritulus*
*Clamorem ſubitum tollit totis viribus.*

At major, quàm quæ vitatur, exoritur difficultas.

Vox latina non eſt *auritulus*. Nec licet dictionum monſtra adhibere, ut optimi ſcriptores aureæque ætatis emendentur. In iis anguſtiis hærebam anxius, cùm attentiùs expendi Mſ. Pith. & in iis, quæ primùm neglexeram, veram Phædri ſcripturam deprehendi. Sic enim habet: *Fugientes ipſe ut exciperet hic auriculas clamorem & ſubito tollit totis virib. Ut* repetitum eſt e verſu ſuperiori, ac proinde delendum. Cetera ſana ſunt, & ſcribendum,

*Fugientes ipſe exciperet. Hic auriculas*
*Clamorem & ſubitò tollit totis viribus.*

*Et* evincit Phædrum ſcripſiſſe *auriculas* & *clamorem*. *Subitò* quoque elegantiùs hìc dicitur, quàm *ſubitum*. Secundam autem ſyllabam in *auriculas* vel produxit Phædrus, ut & produxit in *quotidie* infra libr. II. Fab. IV; vel geminavit literam *c*, ut infra libr. III. Fab. XVIII. in *reccidat*; vel demum maluit trochæum pro ſpondæo ponere, quàm a brevitate & verborum proprietate recedere. Non abſimili & majore licentiâ uſus eſt Phædro ſimillimus Joannes *de la Fontaine*, cùm ſcripſit libr. VII. Fab. VII.

*Et flatteur exceſſif, il loua la colere.*

nec comparem verſum addidit. Rationem rythmo antepoſuit.

*Adſliguntur horrendo impetu.* Ita recentiores. Quod hauſerunt e Mſ. Petri Danielis. In Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. *adficiuntur*.

*Hic poſtquam cæde feſſus eſt.* Bene Cl. Pithœus & recentiores. Non ita bene in Mſſ. Pith. & Rem. *Qui poſtquam cæde feſſus aſinum evocat.*

*Simili fugiſſem metu.* Mſ. Petri Danielis. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Simili fuiſſem in metu.*

FAB. XII. *Laudatis utiliora.* Malè Cl. *Philippe* primos duos hujus Fabulæ verſus omiſit, quos habent Mſſ. & veteres editiones.

*Ut illa mihi profuerint.* Non malè emendavit Cl. Pithœus. *Ut*, pro quemadmodum, uſurpavit quoque Terentius in Heautontimor. Act. III. Sc. 1, 27. *Non tu ei dixiſti, ut eſſem?* In Mſſ. Pith. & Rem. *Ut illa mihi quam profuerint* : unde Cl. Petr. Burmannus emendavit, *Utilia mihi quam fuerint.* Pithœanam emendationem probaverim, quæ plus habet antiquitatis, & minus mutationis.

FAB. XIII. *Vulpis & Corvus.* Elegantiſſimam hanc Fabulam inani garrulitate depravavit Apuleius. Verbosâ ejus intemperantiâ abſtinebo : verùm ut intelligatur quantùm lingua Latina a Tiberii principatu ad Antoninorum tempora, intra annos centum quinquaginta, degeneraverit, afferam finem Fabulæ ex eodem Apuleio, Florid. XXIII. *Eandem iſtam fabulam in pauca cogamus, quantùm poteſt fieri cohibiliter. Corvus ut ſe vocalem probaret, quod ſolum tantæ ejus formæ Vulpes ſimulaverat, groccire adortus, prædæ, quam ore geſtabat, inductricem compotivit.*

*Qui ſe laudari gaudet.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & vet. edit. Fruſtra & ſine auctoritate Cl. Petr. Burmannus, *gaudent.*

*Fere dat pœnas turpi pœnitentiâ.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Fere* ab optimis quibuſque ſcriptoribus pro *plerumque* paſſim uſurpatur. Peſſimè ergo Cl. Petr. Burmannus emendavit,

*Seræ dant pœnas turpes pœnitentiæ.*

Nec meliùs alii,

*Serâ dant pœnas turpes pœnitentiâ.*

Semel tantùm obſervaverim *pœnitentiâ* per æ ſcribi in Mſſ. Pith. ut in antiquiſſimis quibuſque Mſſ. codicibus. Ut hìc *fere*, ſic infrà libr. III. Fab. XVI. Phædrus dixit *plerumque.*

*At ille ſtultus, dum vult vocem.* Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. Fruſtra Cll. *Sanadon* & *Philippe.*

*At ille, dum vult etiam vocem oſtendere.*

*Emiſit ore caſeum.* Mſſ. Pith Rem. & ed. vet. Malè emendat Cl. Petr. Burmannus, *amiſit.* Alii, *dimiſit.*

*Hac re probatur.* Malè Cll. *Sanadon & Philippe*, Heinſium ſecuti, ultimos duos illos verſus expunxerunt. In Mſſ. Pith. & Rem. *quantum ingenium*, levi quidem mutatione.

*Virtute ſemper prævalet.* Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. Malè alii emendant, *virtuti*; alii, *virtute & ſemper.* In duobus verſibus duæ diſtinguendæ ſunt

ſententiæ. Ingenium valet ſubtilitate. Sapientia ſemper prævalet virtute. Plures ſententias in unâ Fabulâ conjunctas vide infrà libr. IV. Fab. X.

FAB. XIV. *Non artis ullâ medicum ſe prudentiâ.* Mſſ. Pith. & Rem. Emendant Cll. Heinſius & Petr. Burmannus, *medicæ*; quod neceſſarium non eſt.

*Quorum ſtultitia.* Bene Cl. Gronovius & recentiores. Non ita bene Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed.

*Quorum ſtultitiæ quæſtus impudentia eſt.*

Tentabat Cl. Heinſius, *Quorum e ſtultitiâ.* Petrus Burmannus, *Quorum ſtultitiâ.*

FAB. XV. *In principatu commutando, ſæpius*
*Nil, præter domini mores, mutant pauperes.*

Ita quidem Mſſ. Pith. Rem. & vet. edit. Pro *ſæpius* in recentioribus editionibus perperam emendatum eſt *civium.* *Nomen* quoque pro *mores* repoſitum. At *mores* retineri poſſunt. Auguſtum & Tiberium qui frequentiùs Cæſares, quàm proprio nomine appellabantur, & Phædrus & Romani jam erant experti, diverſis ſanè moribus. Ille comis erat & magnificus, hic callidus & obſcurus. Diverſi quoque fuere ſequentes Cæſares, Caius, Claudius & Nero. Primus, inſanus; ſecundus, hebes; tertius, atrox.

FAB. XVI. *Fraudator homines cùm advocat ſponſu improbo.* Fortè ſcripſerat Phædrus *ſponſo improbo.*

Habent enim Mſſ. Pith. & Rem. *ſponſore improbo.* Sed *ſponſo*, aut *ſponſu*, idem eſt. Sine neceſſitate & auctoritate in recentioribus editionibus emendatum,

*Fraudator nomen cùm locat ſponſu Improbo.*

Tali licentiâ non illuſtrantur, ſed pervertuntur veteres ſcriptores; & perit eorum integritas. Fraudator, qui vades ſeu fraudis ſuæ conſcios, ſeu inſcios, ſponſu improbo advocat, is non expetit rem expedire, ſed mala videre.

*Præmetuens dolum.* In recentioribus editionibus, *doli.* At Mſſ. Pith. Rem. & veteres editiones habent *dolum.* Quod æquè latinum eſt.

FAB. XVII. *Quem commendaſſe. Commendare*, ſollemne eſt verbum juris pro *deponere.* Proba eſt ergo lectio Mſſ. Pith. Rem. & veterum editionum. Non ita bene e Mſ. Petri Danielis poſtea emendatum, *commodaſſe.*

*Deberi dixit.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & editiones veteres. In Mſ. Voſſ. *debere.* At melius probatiuſque *deberi.* Cl. Heinſius, quem ſecuti ſunt Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *panem debere.* At repetitio diſplicet.

*Videns jacentem.* In Mſ. fragmento Petavii, *videns.* Unde rectè emendatum, *bidens.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Ovis.* Non ita probabiliter, quòd paulo ſuprà jam appellata ſit *ovis.* In optimis ſcriptoribus variatur oratio.

FAB. XVIII. *Onus naturæ.* Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. In recentioribus, nec neceſſariò, nec feliciter emendatum *onus maturum.*

*Illo poſſe confido loco.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In duobus his verſibus quinque voces in eumdem ſonum deſinunt; ut & jam vidimus ſuprà in Fab. IX. Fruſtra ergo emendat Cl. *Sanadon*, *confidam*; Cl. *Philippe*, *illa* & *confidam.*

FAB. XIX. *Canis parturiens.* Mortuo Nanno rege, qui locum condendæ urbis Maſſiliæ, *Marſeille*, Phocæis dederat anno ante Chriſtum 539, Fabulam hanc Canis parturientis Comano, Nanni filio, in paternum regnum ſuccedenti, narravit quidam Gallorum regulus, ut quantùm a Maſſilienſibus eſſet timendum declararet. Juſtin. XLIII, 4. Melior fuit Maſſiliæ ſors. Galliæ artes, literas opeſque cum commerciis intulit.

*Catulos poſſet ducere.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. levi & inutili mutatione Cl. Petr. Burmannus, *poſſet Catulos ducere.*

FAB. XX. *Aquam cœpere bibere.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Tentabat Cl. *Sanadon*, *Ebibere aquam cœpere.* Edidit Cl. Petr. Burmannus, *aquam cœpere ebibere.*

FAB. XXI. *Frontem extudit.* Mſ. Rem. Sic quoque antiquitus habuiſſe videtur Mſ. Pith. Sed recenti manu in eo emendatum *extorxit.* Inde Cl. Pithœus emendavit, *exterit.*

*Quod ferre certè cogor.* Bene Mſſ. Pith. Reſv. & edit. vet. Non ita aptè recentiores,

*Quod ferre cogor, certè bis videor mori.*

FAB. XXII. *Parce quæſo, inquit, mihi.* In Mſſ. Pith. & Rem. *Quæſo, inquit, parce mihi.* Cl. Pithœus emendaverat, *Quæſo, inquit, parcas mihi.* At, ut ſtaret metri ratio, tranſferenda tantùm erant verba, *Parce quæſo, inquit, mihi.*

*Gratum eſſet, dediſſem.* Mſſ. Pith. Rem. Ut jam ſæpe monui, litera *m* hic non eliditur. Cl. Pithœus emendavit, & *dediſſem.* Si quid foret mutandum, mallem, *eſſet gratum, & dediſſem.*

*Quas ſunt roſuri.* Mſ. Rem. & recentiores editiones. In Mſ. Pith. & veteribus editionibus, *quæ.* Antiqui dixere quoque *reliquia* in plurali neutro.

FAB. XXIII. *Verùm peritis.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra emendavit Cl. Bentleius, *Rerum peritis.*

*Poſſet capi.* Ita libri omnes editi. In Mſſ. Pith. & Rem. *poſſit.* Quod ferri quidem poteſt; ſed meliùs *poſſet.*

*Heus, inquit, linguam.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Malè Petr. Burmannus, Heinſium ſecutus, *Heus, ſi, inquit.*

FAB. XXIV. *Rana rupta & Bos.* De quodam inſano, qui cum Mæcenate de opibus vellet certare, Fabulam hanc narravit Horatius II. Satyr. III, 312.

*An quodcumque facit Mæcenas, te quoque verum eſt*
*Tantò diſſimilem & tantò certare minorem?*
*Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,*
*Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens*
*Bellua cognatos eliſerit. Illa rogare*
*Quantane? num tandem, ſe inflans, ſic magna fuiſſet.*
*Major dimidio. Num tanto? cùm magis atque*
*Se magis inflaret: Non, ſi te ruperis, inquit,*
*Par eris. Hæc a te non multùm abludit imago.*

Hæc cum Phædro & Joanne *de la Fontaine* conferas. Nulla certior eſt judicandi & ſcribendi regula.

*In prato quondam.* Sic Cl. Heinſius & recentiores. Nec malè in Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. *In prato quodam.* Non ita feliciter tentaverat quoque Heinſius, *In prato eodem.*

FAB. XXV. *Corcodilus.* In Mſ. Pith. *Corcodrillus.* Mſ. Rem. *Corcodillus.* In Corcodilo, qui in aliorum libris & monumentis Crocodilus dicitur, Phædrus ſecundam literam tranſtulit, ut produceretur ſyllaba, verſuſque foret mollior & fluxior.

*Quàm libet. Quàm* pro quantùm libet. Quod frequens eſt.

*Lambe otio.* Poſt hæc verba, Cl. Pithœus verſum unum addidit, quem recepit Petrus Burmannus:

*Accede, pota leniter, & noli dolos*
*Inquit, vereri.*

Habent quidem Mſſ. Pith. & Rem. *Pota, accede, noli timere ſedulo ait : at noli vereri. At ille*, &c. Manifeſtum eſt hic Phædrum fuiſſe interpolatum ex interpretatione præceptoris alicujus diſcipulos ſuos docentis. Nec confingendus fuit verſus, qui Phædrum minimè redolet. Sic ſuprà in Fabulâ XXII. poſt verba illa, *& ipſos devores*, habet Mſ. Pith. *Hic intellege ſoricem eſſe generis maſculini.* Talibus interpolationibus fœdati ſunt Mſſ. codices etiam optimi.

Fab. XXVI. *Ad cenam vulpis.* Hunc verborum ordinem poſtulat metri ratio. In Mſſ. Pith. & Rem. *Vulpis ad cenam.* At, cùm Phædri Fabulæ, ut proſa, non ut verſus, a librariis deſcriberentur, inde frequens vocum perturbatio. Innumera ſunt in Mſ. Pith. exempla.

*In patinâ liquidam.* Prima ſyllaba in *liquidam* producitur. Quod & Lucretii uſu comprobatur,

*Craſſaque conveniunt liquidis & liquida craſſis.*

In Mſſ. Pith. & Rem. *& illi liquidam in patena.* Malè emendaverat Cl. Pithœus, *& ei.*

*Plenam lagenam.* Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. habent *lagonam*, & mox infrà *lagonæ.* Sic in Mſſ. codicibus Catonis de Re ruſticâ *laguna* & *lagona* reperitur, quod idem eſt ac lagœna & lagena.

*Collum fruſtra lamberet.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In recentioribus, *fruſtra collum lamberet.*

Fab. XXVII. *Et violarat.* Bene Mſ. Rem. Sic

quoque habuit antiquitus Mſ. Pith. Sed recentiore manu emendatum eſt, *violat*. Unde Cl. Pithœus edidit, *violavit*.

*Sanctæ religioni*. Prima ſyllaba in *religioni* producitur.

FAB. XXVIII. *Docili quia patet ſolertiæ*. In Mſſ. Pith. & Rem. *ſolertia*. Quod ferri poteſt, ſi in ſexto caſu accipiatur.

*Tantum miſeræ luctum importaret*. Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra Cl. *Philippe* emendavit, *tantùm miſeræ luctuum importet*.

FAB. XXIX. *Demiſſo pene*. In Mſſ. Pith. & Rem. *Dimiſſo pene*. In Mſ. Pith. recenti manu malè emendatum, *pede*. Malè quoque emendavit Cl. Pithœus, *dimiſſis pedibus*.

*Similem ſi negas*. Bene Mſſ. Pith. & Rem. Non ita bene Cl. Pithœus, *ſi ſimilem negas*.

FAB. XXXI. *Quàm regem me creatis*. Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. Verſum hunc malè luxavit Cl. Burmannus.

*Quàm me creatis ictu regem fœdere.*

Recentiore manu inutiliter emendatum in Mſ. Pith. *junctu fœdere*.

*De reliquis*. Prima ſyllaba in *reliquis* producitur.

# IN LIBRUM II.

PROLOG. *Auctor.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In recentioribus, *Auctor* omittitur.

*Æſopi genus.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Malè in recentioribus, *Æſopi ſtilus.* Senſus autem eſt : Fabula, cujus auctor eſt Æſopus, ut dictum eſt in Prolog. Libri primi, continetur exemplis. Hoc eſt Æſopi genus. Peſſimè emendabat Cl. Bentleius,

*Exemplis continetur humanum genus.*

*Quicumque fuerit ergo narrandi locus.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Narrandi locus* eſt ipſum narrationis argumentum, *le ſujet de la Fable*, quod certè poteſt aurem capere, & propoſitum corrigendi errorem mortalium ſervare. Fruſtra ergo eruditus Grævius ad Ciceronis Epiſt. Famil. XVI, 21. emendat,

*Quicumque fuerit ergo narrantis jocus.*

quaſi locus aurem non capiat, nec re commendetur. Grævianam emendationem ſecutus eſt Cl. Petr. Burmannus, ſed pro *narrantis* ſuppoſuit *narranti.* Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere,

*Quodcumque fuerit ergo narrandi genus.*

*Re commendatur.* Cl. *Philippe*, *commendetur*; refragantibus libris ſcriptis & editis.

*Si libuerit aliquid interponere.* Locum hunc imi-

tatus eſt Cl. Joannes *de la Fontaine*, & Phædrum commendat. Sic enim ipſe de Æſopo loquitur.

*Si j'ajoute du mien à ſon invention,*
*C'eſt pour peindre nos mœurs, & non pas par envie:*
*Je ſuis trop au deſſous de cette ambition.*
*Phédre enchérit ſouvent par un motif de gloire.*

*Lector accipiat velim.* Mſſ. Pith. Rem. & libri editi habent, *lector, accipias velim.* Sed error eſt, ut patet ex ſequentibus, *rependet illi.* Cl. Bentleius jam emendaverat, *accipiat.*

*Ita ſic rependet illi brevitas gratiam.* Optimè Mſſ. Pith. & Rem. Cùm locutionem illam verè latinam non caperent editores, mirum in modum locum hunc vexavere. Alii cum Cl. Pithœo emendant,

*Ita ſit, rependet illi brevitas gratiam.*

Alii cum Petro Burmanno,

*Ita: ſi rependet ipſa brevitas gratiam.*

Cl. *Sanadon*,

*Saltem rependet ipſa brevitas gratiam.*

Cl. *Philippe*,

*Sic iſtam tibi rependet brevitas gratiam.*

Nihil erat mutandum; ſed in memoriam revocandus locus Titi Livii II, 10. *Ita ſic armatus in pontem deſiluit.* Poſt *gratiam* bene interpungit Mſ. Pith.

*Attende cur negare.* Duo illi verſus non ſunt loco dimovendi, ut Cl. Pithœo & quibuſdam aliis placuit : ſed ſpectant ad ſequentem Fabulam. Sic Prologum & Fabulam libri ſui tertii conjunxit Cl. Joannes *de la Fontaine.*

FAB. I. *Retulit retro.* Prima ſyllaba producitur in *retulit.*

*Non eſt quid timeas.* Mſſ. Pith. & Rem. Fruſtra Cl. Pithœus emendavit, *quod.*

FAB. II. *Tenebat.* Optimè hunc locum reſtituit Cl. Joannes Ludovicus Praſchius. Corruptè in Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet.

*Ætatis mediæ quædam mulier non rudis*
*Tegebat annos, celans elegantiâ.*

Alicui fortè emendandum videbitur,

*Ætatis mediæ cuidam mulier non rudis*
*Tegebat annos, celans elegantiâ.*

Sed melior eſt Praſchiana emendatio.

*Animoſque ejuſdem.* Ita Mſ. Rem. edit. vet. & Petrus Burmannus. In Mſ. Pith. *animus.* Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *animum.*

*Pingi curâ mulierum.* Sic Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Verbo *expingere* uſus eſt Martialis Epigramm. VII, 82. & VIII, 52. Non neceſſariò emendatum eſt in recentioribus editionibus, *fingi.* Licèt utrumque verbum eleganter uſurpari poſſit, crediderim tamen *pingi*, ſi abſolutè ponatur, melius eſſe quàm *fingi.*

FAB. III. *Homo & Canis.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. titulus hujus Fabulæ eſt, *Æſopus ad quemdam de ſucceſſu improborum.*

*Panem miſit.* In Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. *inmiſit.* Sed ſuprà libr. I. Fab. 23. Phædrus jam uſus eſt verbo *mittere*; & fortè ex literâ præcedenti *m* natum eſt verbum *inmiſit.*

FAB. IV. *Sus nemoris cultrix.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra emendavit. Cl. Petr. Burmannus, *nemoricultrix.*

*Quotidie.* Secundam ſyllabam producit Phædrus; ut & infrà libr. IV. Fab. 25. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *quod* pro *quem.*

*Terrore offuſo. Offuſo*, ut a recentioribus emendatum eſt, verius & antiquius crediderim, quàm *effuſo*, quod habent Mſſ. Pith. Rem. & editiones veteres.

FAB. V. *Cæſar ad Atrienſem.* Titulus hujus Fabulæ in Mſſ. Pith. & Rem. *Item Cæſar ad Atrienſem.* Unde videtur fuiſſe & aliud Tiberii Cæſaris dictum a Phædro priùs narratum. Immo cùm ſecundus hic Fabularum liber ſit breviſſimus, fortè multæ periere.

*Eſt ardelionum.* Vitium fuit Romæ, vitium erit magnarum omnium urbium, hæc ardelionum natio, immenſuſque famulatus: hominum genus actuoſum ſemper, & ſemper iners, ſibi aliiſque grave, & inemendabile. Inter ceteras luxûs peſtes queritur Tiberius *familiarum numerum & nationes.* Tacit.

Annal. III, 53. Hæc eſt ſervilis ardelionum natio, quam emendare tentavit Phædrus. Alia eſt & libera, æquè moleſta, magis inemendabilis, & ſapienti cuique fugienda, ut admonet Seneca *de Tranquillit. animi.* Cap. 12. *Circumcidenda eſt concurſatio, qualis eſt magnæ parti hominum, domos, & theatra, & fora pererrantium. Alienis ſe negotiis offerunt, ſemper aliquid agentibus ſimiles. Horum ſi aliquem exeuntem de domo interrogaveris. Quò tu! Quid cogitas! reſpondebit tibi: Non mehercule ſcio: ſed aliquos videbo, aliquid agam. Sine propoſito vagantur, quærentes negotia: nec quæ deſtinaverunt, agunt, ſed in quæ incurrerunt. Inconſultus illis vanuſque curſus eſt; qualis formicis, per arbuſta repentibus; quæ in ſummum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. His plerique ſimilem vitam agunt, quorum non immeritò quis inquietam inertiam dixerit. Quorumdam, quaſi ad incendium currentium, miſereberis: uſque eò impellunt obvios, & ſe alioſque præcipitant: cùm interim cucurrerint, aut ſalutaturi aliquem non reſalutaturum, aut funus ignoti hominis proſecuturi, aut judicium ſæpe litigantis, aut ſponſalia ſæpe nubentis, & lecticam aſſectati, quibuſdam locis & ipſi tulerint. Deinde domum cum ſupervacuâ redeuntes laſſitudine, jurant neſciſſe ſe ipſos, quare exierint, ubi fuerint, poſtero die erraturi per eadem illa veſtigia.* Alia nunc ætas, alii homines, non alii mores.

*In Miſenenſem villam.* Hæc villa, quondam Lu-

culli, tum Tiberii Cæsaris posita erat in summo monte Miseno, nunc *Capo di Miseno*, haud procul Neapoli, *Naples*; unde datur latè prospectare mare Siculum, *la mer de Sicile*, & propè prospicere mare Tuscum, *la mer de Toscane*.

*Atriensibus*. Atrienses erant servorum lautissimi. Inde Cicero, Paradox. v, 2. *In magnâ familiâ sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, atrienses, ac topiarii*. Quod quoque intelliges ex Plauto in Asinar. Act. II. Sc. II.

*Extemplò facio facetum me, atque magnificum virum, Dico me esse atriensem.*

A domûs atrio, cujus cura his erat credita, nomen sortiebantur. Nos dicimus *des Pages*. Inter servos domûs Augustæ memoratur

ANTIOCHUS
LIVIÆ
ATRIENSIS

Vide eruditum Bianchini, *Camera ed Inscrizioni sepulchrali de' Liberti, servi, ed Ufficiali della Casa di Augusto*, pag. 41.

*Linteo Pelusio*. Pelusium, urbs maritima Ægypti inferioris, nunc *Thine*, unde magna vis præstantissimorum linteorum Romam adsportabatur.

*Cirris dependentibus*. Hæc ne intelligas, ut quibusdam placuit de adsutis tunicæ fimbriis, aut de propendentibus ad latera utrimque tunicæ sinubus,

ut vult Cl. Begerus, ſed de cirris comarum dependentibus, *les boucles de cheveux flottantes*; ut rectè obſervavit eruditus Pignorius de ſervis, pag. 224. Cirratos pueros, qui magiſtrorum ſcholas frequentabant, memorat Martialis IX. Epigramm. 30.

*Nec matutini cirrata caterva magiſtri.*

*Perambulante læta domino viridia.* Bene emendavit Cl. Heinſius. In Mſ. Pith.

*Perambulante læta domino viridiaria.*

At pes unus in eo verſu redundat. Emendaverat Cl. Pithœus,

*Perambulante læta domino viridaria.*

Peccabat metri ratio, cùm in ſpondæum verſus deſineret, & ſyllaba una cum vocali ſequentis versûs adhuc eſſet elidenda. *Viridia* autem & *viridaria* æquè dixere veteres, ut conſtat e Plinio Epiſt. v, 6. *Ambit hunc* (*xyſtum*) *ambulatio preſſis variéque tonſis viridibus incluſa.* Vide & Senecam Epiſt. 86. & Vitruvium v, 9. *Viridiaria* autem non reperiuntur in libris veterum ſcriptorum qui exſtant. Speciosas volucres ſuis in viridariis alebant Romani, teſte Suetonio in Tiber. cap. LX. Tiberius *militem prætorianum, ob ſubreptum in viridario pavonem, capite punivit.* De his ſatis dixi in Hiſtoriâ hortorum, editâ cum elegantiſſimis Rapini Hortis.

*Come officium jactitans.* Rectè emendatum. In Mſſ. Pith. Rem. & veteribus editionibus, *jactans*

*officium come* ; quod eſt contra metri leges.

*Alium in xiſtum.* Xiſtus , aut xyſtus , ut verè explicat Cl. Carolus de Aquino , eſt ambulatio aperta & ſubdialis , arboribus , odoratiſque floribus conſita , aptatis etiam ad apricandum , vel ad umbroſum hoſpitium ſedilibus. De ſuâ villâ Plinius Epiſt. II , 17. *Ante cryptoporticum xyſtus violis odoratus.*

*Is ut putavit.* In Mſſ. Pith. & Rem. primâ ſyllabâ mancus eſt hic verſus. Cl. Pithœus ſupplevérat , *id.* Ego ſupplevi , *is* , ut ſtet ſenſus , & deſignetur atrienſis , quod neceſſe eſt. Cl. Praſchius malè hunc verſum omiſit. Alii poſt ſequentem verſum , *Heus* , *inquit Dominus* , &c. pravè tranſtulere

*Donationis alacer certæ gaudio.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Verſum hunc , fortè typographi errore ( nihil enim monet ) omiſit eruditus Tanaquil Faber , quem Praſchius aliique ſunt ſecuti. Id meritò queritur Petrus Burmannus. Nefas enim veteres ſcriptores truncare.

*Tum ſic jocata eſt.* Optimè Mſſ. Pith. & Rem. Malè emendaverat Cl. Pithœus , *locuta eſt. Jocata* meritò repoſuit Cl. Rigaltius.

*Tanta majeſtas Ducis.* Sic Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In recentioribus emendatum , *tanti* ; ſine auctoritate , & ſine neceſſitate.

*Alapæ mecum vencunt.* Alapâ percutiebantur & circumagebantur ſervi ut manumitterentur. Inde eleganter & poeticè , ut ei mos eſt , Perſius Satyr. V , 75.

*Heu ſteriles veri, quibus una Quirites*
*Vertigo facit: hic Dama eſt, non treſſis agaſo,*
*Vappa & lippus; & in tenui farragine mendax,*
*Verterit hunc dominus, momento turbinis exit*
*Marcus Dama.*

Elegans quoquè eſt Tiberii dictum:

*Multò majoris alapæ mecum veneunt.*

Hæc Fabula longiùs fuit explicanda, quòd in eâ multa reconditioris eruditionis continerentur.

FAB. VI. *Facilè veſcatur.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. At Cll. Petr. Burmannus & Bentleius, emendant *facili.* Utrumque rectè dicitur.

*Largè diviſit dapem.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere, *largam.*

FAB. VII. *Cervice eminet.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *eminens... jactans.* Bene emendatum, *eminet... jactat.* Favet Mſ. codex Perotti, de quo mox dicam, in quo legitur, *jactat.*

*Interque cædem.* Decertantibus mulionibus & latronibus.

*Mulum ſauciant.* Malè Mſſ. Pith. & Rem. *trucidant.* Repugnat enim metri ratio. Cl. Pithœus emendaverat, *tunditant:* alii, *truſitant.* Vera emendatio eſt, *ſauciant;* ut notum fecit Nicolaus Perottus, creatus Archiepiſcopus Sipontinus, nunc *Manfredonia*, anno 1458, qui hanc Phædri Fabulam, ut alias multas e ſuo Mſ. codice exſcripſerat,

rat, & quaſi ſuas fecerat. Furti tamen non arguendus, cùm ipſe in præfatione operis, quod Pyrrho Perotto, fratris filio, nuncupaverat, fateatur:

*Non ſunt hi mei, quos putas, verſiculi,*
*Sed Æſopi ſunt, & Avieni & Phædri,*
*Quos collegi, ut eſſent, Pyrrhe, utiles tibi;*
*Tuâque causâ legeret poſteritas,*
*Quas edidiſſent viri docti fabulas.*
*Honori & meritis dicavi illas tuis,*
*Sæpe verſiculos interponens meos,*
*Quaſdam tuis quaſi inſidias auribus.*
*Solet quippe juvare iſta varietas.*
*Hos ſi leges, lætabor: ſin autem minùs*
*Habebunt certè, quo ſe oblectent poſteri.*
. . . . . .
. . . . . ,
*Hunc obtrectare ſi volet malignitas,*
*Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.*
*Mihi magna laus eſt, quòd tu, quòd ſimiles tui*
*Labores libenter legant uſque meos.*
*Dignoſque longâ judicent memoriâ.*
*Semper fugatæ plus vetuſtati favet*
*Invidia mordax, quàm bonis præſentibus.*

In his verſibus multa ſunt Perotti, & contra omnes metri leges. Sed plurimæ quoque, & aureæ, adſutæ ſunt Phædri laciniæ. Unde, ut opinor, nec literis inutilem, nec ſibi ingloriam, operam poneret vir literatus, cui ſatis otii ſuppeteret,

ſi eruditorum virorum ſæculi XV, Italorum maximè, opera diligenter evolveret, & quæ antiquis ſcriptoribus ſubripuere, recognoſceret.

*Nec ſum paſſus vulnera.* Mſ. Perotti. Quod non immerito probaverunt Cll. *Sanadon* & *Philippe.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Nec ſum læſus vulnere.*

FAB. VIII. *Bubili condidit.* In Mſ. Pith. *bovili.* Mſ. Rem. *bobili.* Bene emendatum, *bubili*; teſte enim Varrone, de Ling. Lat. libr. VII. *A bove dicitur bubile, non bovile.*

*Bubus quietis.* Sic Mſſ. Rem. & Perotti. Ita quoque habuit Mſ. Pith. Sed alterâ manu emendatum, *boves*; & inde Cl. Pithœus emendavit, *bobus.* Malè tentat Cl. Bentleius, *quietus.* Quieti boves, quòd taciti latitantem non prodiderant.

*Corruptos viderat.* Macie & làſſitudine corruptos viderat boves.

*Alta conſpicatur cornua.* Bene Mſ. Perotti. In Mſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Eſt conſpicatus*; quod non concordat cum præcedentibus, *dum ſcrutatur.* Tunc enim fuiſſet dicendum, *dum ſcrutabatur.*

EPILOG. *Æſopi ingenio ſtatuam.* Bene Mſ. Perotti; ſic quoque conjecerat Cl. Gudius. Corruptè quidem Mſſ. Pith. & Rem. *Æſopi ingentom.* Unde Cl. Pithœus emendaverat *Æſopi ingentem ſtatuam.* Cl. Sanadon opinatur in hoc Epilogo multa deeſſe. Mihi verò integer videtur; & nihil hiulcum truncumve deprehendo. Exſtat in Anthologiâ libr. IV. Tit. 33. num. 9. Elegans Agathiæ epi-

gramma, quo Lysippum laudat sculptorum celeberrimum, qui statuam Æsopi non modò fecerat, sed septem Græciæ sapientibus antelocaverat, quòd hi morosi egregia dicerent, non persuaderent, ille jocando doceret & placeret.

*Sin autem doctus illis occurrit labor.* Perperam Mss. Pith. & Rem. *Sin autem ab illis doctus occurrit labor.* Rectè emendatum, *doctus illis occurrit.* Malè autem Cl. Heinsius, *sin autem doctus illis arguitur labor*; & Petr. Burmannus, *sin autem: ac illis doctus occurret labor.* Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *sin autem & illos doctus offendet labor.*

# IN LIBRUM III.

PROLOG. *Ad Eutychum.* Crediderim Eutychum illum unum fuiſſe e libertis Auguſti, & fortè illum ipſum, cujus cineres reperti ſunt in tumulo libertorum & ſervorum domûs Auguſti cum hac Inſcriptione

C. JULI EUTYCHI
ET QUINTILLIAES AURAES
IMMUNIUM

apud eruditum *Bianchini*, pag. 24. in ejus opere, quod jam laudavi ſuprà in Notis ad librum II. Fab. V.

*Et vitæ genus.* Cl. Pithœus, aliique. In Mſſ. Pith. & Rem. *Ut vitæ genus.*

*Pierio mater enixa eſt jugo.* De Phædri patriâ natalibuſque dixi in Præfatione.

*Nec laudę invitâ.* Verſum hunc bene reſtituit Cl. Heinſius. Malè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *& laude invitâ in hanc vitam incubuerim.*

*Quodcumque fuerit.* Phædrus id accepit a Virgilio Æneid. II, 77.

*Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcumque, fatebor*
*Vera, inquit,*

*Ego porro illius.* Perperam quidem Mſſ. Pith. Rem. & Cl. Pithœus, *Ego illius porro.* Bene emendatum, *Ego porro illius.* Inutiliter tentavere Cll. Gronovius & Hoogſtratanus, *Ego illius poſt.*

Quod tamen ſecuti ſunt Cll. *Sanadon* & *Philippe.* Phædrus adhuc infrà libr. III. Fab. XV. *Age porro.*

*In calamitatem deligens.* Inde patet a Sejano objectas fuiſſe Phædro ſuas fabulas, quaſdamque fuiſſe delectas, quibus argueretur Tiberii principatum inceſſiſſe. Quod graviſſimum fuit iis temporibus crimen, præcipuè ſi ipſum Sejanum inceſſiſſet. Quâ de re vide quæ jam dixi ſuprà in Notis ad libr. I. Fab. VI.

*Threiſſa cùm gens.* Thracia, e quâ prodiere Linus & Orpheus.

FAB. I. *Et teſtâ nobili.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & editiones veteres; nec tollenda fuit particula conjunctiva, ut contigit in recentioribus editionibus. Pejùs emendavit Cl. Petr. Burmannus, *e teſtâ nobili.* Teſta autem nobilis dicitur, quæ ſignata erat ſub conſule, quo memorabantur vina fuiſſe optima. Omnium nobiliſſimæ, quæ ſub Opimio conſule, ſignatæ fuere anno Urbis conditæ DCXXXIII. ante Chriſtum 121; quæ durabant adhuc & Phædri & Caii Caligulæ ætate, ut videre eſt apud Plinium Hiſt. nat. XIV, 4. Talis teſta, ſeu amphora, Opimiana tunc veniit nummûm millibus, Gallicæ monetæ libris 194. Amphora autem continebat menſurâ Pariſienſi *28 pintes.*

*Spargeret.* Mſſ. Pith. Rem. & libri editi. In Mſ. Perotti, *ſparſerat.*

*Quale te dicam bonum.* Sic Mſ. Perotti; & ita conjecerat Cl. Heinſius. In Mſſ. Pith. Rem. & ed.

vet. *qualem te dicam bonam.* Emendaverat Petr. Burmannus, *quale in te dicam bonum.* Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *quantùm te dicam bonam*; laudatque ex Horatio II. Satyr. III. *tantùm magna.* At Tibullus IV. Eleg. 11, 35. jam dixerat.

*Heu quicumque dedit formam cæleſtis avaræ*
*Quale bonum multis attulit ipſe malis?*

*Qui me noverit.* Ad ſenium vergebat languens Phædri ætas, cùm hæc ſcriberet. Inde monet ex ingenii ſui reliquiis judicandum quale olim fuerit, & quantò valentius.

FAB. II. *Alii onerant ſaxis, quidam contrà.* Ita libri omnes ſcripti & editi. Nihil quoque mutandum eſt, licet multi id tentavere, alii aliter. Sed Phædro diſſyllabum fuit *alii*, ut & Catullo fuit Carm. LXVI, 28. de Comâ Berenices.

*Quod non fortior aut ſit alis.*

*Alid* quoque pro *aliud* dixit Lucretius libr. I.

*At illi : Memini.* Mſ. Perotti : ſic quoque Cll. Heinſius & Schefferus. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *& illa.*

*Sævit irato impetu.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Malè emendaverunt, Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *innato impetu.* In Mſ. Perotti, *irati impetu.*

*Qui me ſaxo petierit.* Mſ. Perotti. In Mſſ. Pith. & Rem. *petierat.* Hoc conſenſu manifeſtum eſt ſingulari, non plurali uſum eſſe Phædrum. Fruſtra

ergo emendavit Cl. Pithœus, *petierint*. Orationem quantùm poterant, variabant antiqui.

*Quis panem dederit*. Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In recentioribus fruſtra adhuc emendatum, *qui panem dederint*.

*Qui me læſerant*. Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In Mſ. Perotti, *læſerunt*. Quod rectè quoque diceretur. Sed tum corripienda eſt penultima ſyllaba. Id receperunt Cll. *Sanadon* & *Philippe*.

FAB. III. *Hariolo velocior*. Illa eſt *velocitas cogitationum animique celeritas*, quam in homine commendat Plinius Hiſt. nat. VII, 12. Nec tentandum, ut Cll. Pithœo & Rigaltio placuit, *veracior*.

*Æſopus ibi ſtans*. Bene Mſ. Perotti In Mſ. Pith. *Sibi ſtans*. Malè emendat Cl. Bentleius, quem Cll. *Sanadon* & *Philippe* ſunt ſecuti, *Æſopus ibi tum*.

*Natura numquam verba*. Rectè dictum, ut exprimatur Æſopum in rebus naturalibus non decipi. Hoc loquendi modo uſus eſt Terentius, Phormio Act. IV. Scen. V, 1.

*Quietus eſto, inquam: ego curabo, ne quid verborum duit.*

Verſum ſententiamque pervertit Cl. Sanadon, cum emendat.

*Gnarus naturam verba nequaquam dare.*

FAB. IV. *Ridiculè magis hoc dictum, quam verè æſtimo*. Rectè emendavit Cl. Pithœus. Inverſus erat

in Mſſ. Pith. & Rem. verborum ordo : *Ridiculè hoc dictum magis quàm verè æſtimo.* Corrigebat Cl. Bentleius.

*Ridiculè hoc dictum mage, quam verè exiſtimo.*

Sed & *æſtimo* pro *judico.* dixere antiqui. Sic Columel III, 3. *Hanc ſententiam loco ſuo æſtimabimus.*

FAB. V. *Comprehenſus.* Triſyllabum eſt. Nec neceſſariò ſcribendum, *comprenſus,*

FAB. VI. *Vide ne dolone.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Ultima ſyllaba in *vide* corripitur. Quod frequens eſt in verbis hujus conjugationis apud Virgilium ceteroſque poetas optimos. Dura eſt Cl. Petr. Burmanni emendatio.

*Vide dolone ne collum pungam tibi.*

*Jugum flagello.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. Fruſtra tentavit Cl. Petr. Burmannus, *curſum flagello*, quod tamen receperunt Cll. *Sanadon* & *Philippe. Jugum* de leonibus quoque dixit Plinius Hiſt. nat. VIII, 16. *Jugo ſubdidit eos, primuſque Romæ ad currum junxit M. Antonius.* Porro & jugo & frenis continebantur mulæ, ut videre eſt in nummis Liviæ & Agrippinæ, qui mulas ad currum junctas exhibent. Verſum hunc immutaverat Nicolaus Perottus,

*Jugum flagellans temperat collo meum.*

*Nam ubi tricandum, & ubi currendum eſt ſcio.* Sic

Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Hunc quoque verſum immutavit Nic. Perottus,

*Ubi ſit tardandum, & ultro currendum, ſcio.*

Eruditus Salmaſius plaudit ſibi, quod pro *tricandum* emendaverit *ſtrigandum*. At talibus emendationibus corrumpitur latinitas. In nullis enim probæ latinitatis ſcriptoribus reperies *ſtrigare*. Tricari verò & latinum eſt, & eleganter uſurpari poteſt, ut lentus exprimatur inceſſus, quo jumenta quodammodo tricantur.

FAB. VII. *Salutantes dein invicem.* Mſſ. Pith. & Rem. *dein ſalutantes.* In Mſ. Perotti, *ſalutanti.* Emendavit Cl. Petr. Burmannus, *dein ſalutant.* Tentavere alii, quos probabat Cl. Sanadon,

*Fortè occucurrit : dein ſalutant invicem.*

ſed & vetus ſcriptura ferri poteſt.

*Ego qui ſum longè fortior.* Cl. *Philippe* ſine ullâ auctoritate alium in hac Fabulâ inſtituit ordinem, qui ut cognoſcatur, tota ex ejus editione exhibenda eſt Fabula.

## *CANIS & LUPUS.*

QUAM dulcis ſit libertas, breviter proloquar.
Cani perpaſto, macie confectus Lupus
Forte occurrit : ſalutantes dein invicem
Ut reſtiterunt : *L.* Unde ſic quæſo nites,
Aut quo cibo feciſti tantùm corporis?
*C.* Adfertur ultro panis, de menſa ſua

Dat oſſa dominus, fruſta dat familia;
Et quod faſtidit quiſque pulmentarium.
Sic ſine labore venter impletur meus.
*L.* Ego qui ſum longe fortior, pereo fame.
*C.* Canis ſimpliciter: eadem eſt conditio tibi,
Præſtare domino ſi par officium potes.
*L.* Quod? inquit ille. *C.* Cuſtos ut ſis liminis,
A furibus tuearis & noctu domum.
*L.* Ego verò ſum paratus: nunc patior nives,
Imbreſque, in ſilvis aſperam vitam trahens;
Quanto eſt facilius mihi ſub tecto vivere,
Et otioſum largo ſatiari cibo!
*C.* Veni ergo mecum. *Pocta.* Dum procedunt, aſpicit
Lupus a catenâ collum detritum cani.
*L.* Unde hoc, amice? *C.* Nihil eſt. *L.* Dic, fodes, tamen
*C.* Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, & vigilem nox quum venerit:
Crepuſculo ſolutus, quà viſum eſt, vagor.
*L.* Age, ſi quò abire eſt animus, eſt licentia!
*C.* Non planè eſt, inquit. *L.* Fruere, quæ laudas, Canis:
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

Ne huic ordini aſſentiam tria obſtant. Primum, quòd aliter habeant libri omnes ſcripti & editi. Secundum, quòd in hoc ordine diſjuncta videantur, *Adfertur ultro panis .... Ego qui ſum longè fortior.* Tertium quòd non ſatis connectantur quæ

in fine Fabulæ loquitur lupus, *Fruere quæ laudas, canis.* Adde in antiquo Fabulæ ordine meliùs ſervari morem tempuſque quo cenabant Romani.

*Collum detritum canis.* Sic Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Volebant Cll. Heinſius & Bentleius, *cani;* & ita habet Mſ. Perotti. Utrumque æquè dicitur.

*Fruere, quæ laudas.* Hæc & ſequentia inelegantèr mutavit Nicolaus Perottus.

*Fruere his, quæ laudas, Canis.*
*Regnare nolo, ni libertatem habeam.*

FAB. VIII. *Inſignem pulchrâ facie.* Bene Mſ. Perotti. Non ita bene Mſſ. Pith Rem. & ed. vet. *Inſigni & pulchrâ facie.*

*Hi ſpeculum.* Bene emendatum. Perperam Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *His ſpeculum.*

*Ut poſitum fuit.* Optimè Mſ. Perotti. Peſſimè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *ſuppoſitum fuit.* Speculum poſitum fuit in cathedrâ : minimè verò cathedræ ſuppoſitum, quod ipſa vis verbi exigeret.

*Pueriliter ludentes.* Hæc Fabula egregiè explicat duas tabulas inter Herculanenſia rudera repertas, quibus ſimiles puerorum luſus exhibentur. Miror id non fuiſſe obſervatum ab eruditis Herculanenſibus Academicis. Illarum tabularum una exhibet columbam in cathedrâ poſitam, & duos pueros circùm ludentes. In alterâ, eſt galea in cathedrâ poſita, & ludentes quoque duo pueri. Utrumque argumentum multa elegantiâ & feſtivitate expreſ-

ſum. Ut cognoſcas & cathedræ formam & ipſum luſum, tabulas inſpice in egregio opere, *Le Pitture antiche d'Ercolano*, Tom. I. Tab. XXIX.

*Fortè inſpexerant.* Bene Cl. Pithœus. In Mſſ. Pith. & Rem. *inſpexerunt.*

*Ad patrem decurrit.* Mſſ. Pith. Rem. Perotti & editiones recentiores. Cl. Pithœus fruſtra emendaverat, *cucurrit.*

*Rem feminarum.* Speculum mundumque muliebrem.

Fab. X. *Poeta de credere & non credere.* Hunc titulum habent Mſſ. Pith. & Rem. Ad Græcorum morem eſt expreſſus. De eodem argumento, quo in vitâ hominum vix ullum eſt gravius, exſtat præſtantiſſima oratio Caroli Porée, Societatis Jeſu, rhetoris celeberrimi.

*Exploranda eſt veritas ſemper.* Mſ. Perotti. Non ita bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *multùm*: unde Cl. Bentleius emendabat *multò.*

*Stultè prava.* Mſ. Perotti; & meliùs quidem quàm Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *ſtulta pravè.*

*Fabuloſam ne vetuſtatem eleves.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *elevem.* Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere, *eleves.* Favet Mſ. Perotti, licet habeat, *aſſeras.* Verbum inelegans, ſed notius, pro eleganti, ſed non ita frequenti, repoſuit Perottus.

*Togamque puram.* Romanorum liberi, ingreſſi annum ætatis ſuæ ſeptimumdecimum, prætextam ponebant, & ſumebant togam. Prætextæ adſuta

erat purpura : contrà ſine purpurâ erat toga ; & inde pura dicitur. In Mſ. Perotti *compararet* pro *jam pararet.*

*A liberto eſt ſuo.* Mſ. Perotti. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. omittitur, *eſt.*

*Hic cùm de puero.* Mſ. Perotti. In Mſ. Rem. *qui.* Mſ. Pith. *qui dum.*

*Natum mater juſſerat.* Mſ. Perotti.

*Concurſant familia.* Concurſant ſervi. Ob nomen collectivum Phædrus utitur plurali ; quod familiare eſt optimis ſcriptoribus. In Mſ. Perotti, *concurſat familia.*

*Impetum non ſuſtinens.* Cll. *Sanadon* & *Philippe* ſine auctoritate emendant, *impetum ille haud ſuſtinens* ; quod neceſſarium non eſt.

*Adjuvaret jurisjurandi fidem.* In negotiorum ambagibus & ancipitibus rationum momentis, cùm neque abſolvere, neque condemnare poſſent judices, mos iis erat jurare, *non liquere.* Vide Aulum Gellium, Noct. Attic. XV, 2. Tali erroris crimine implicati judices, ab Auguſto petunt, ut jurisjurandi fidem adjuvet. Auguſtus tenebras calumniæ diſpulit, veritatis fontem reperit, libertum damnavit, uxorem abſolvit.

*Delata perſcrutatus.* In Mſ. Perotti. *delatum perſcrutatus crimen.* Rectè emendatum, *delata.* In Mſſ. Pith. & Rem. *damnanda.*

*Subtiliter limaſſet.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Multiplex eſt apud optimos ſcriptores verbi

*limare* uſus. Cicero Officior. II, 35. *Veritas ipſa limatur in diſputatione.* & Horatius I. Epiſt. XIV, 37.

*Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam*
*Limat, non odio obſcuro morſuque venenat.*

Cll. *Sanadon & Philippe*, perperam emendavere *ſubtiliter rimatus.*

FAB. XI. *Amiſſi corporis.* Eleganter dictum; ſicque habent Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendant *abſciſſi corporis.* *Amiſſi* autem *corporis* eadem eſt ſignificatio quæ *ademptæ virilitatis*, ut loquitur Tacitus, Annal. VI, 31.

FAB. XII. *Te ſi quis pretii.* Bene Cl. Bentleius. Id enim poſtulat ipſa verborum ſeries. In Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. *Hoc ſi quis.*

*Ad ſplendorem priſtinum.* Mſ. Perotti. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *ad ſplendorem maximum.*

*Ego quí te inveni.* Optimè vidit Cl. Gudius adverbialiter *quí* eſſe poſitum. Idem eſt ac, quare te inveni?

*Nec mihi quidquam.* Fruſtra & ſine auctoritate Cll. *Sanadon* & *Philippe* addidere, *nec tu mihi.* Senſus autem eſt, nec tibi prodeſſe poſſum, nec mihi quidquam prodeſſe potes. Eleganter omittuntur verba, quæ repeti diſpliceret.

*Qui me non intelligunt.* Bellè caſtigat eos Phædrus, qui latitantes Fabularum ſenſus non perciperent, nec elegantiſſimam brevitatem ſaperent.

FAB. XIII. *In altâ fecerant quercu.* Mſ. Perotti. In Mſſ. Pith. & Rem. *In altâ quercu fecerunt.*

*Alvos accipite.* Bene Mſſ. Pith. Rem. Sic quoque Columella IX, 6. & alibi paſſim. Fruſtra Cl. Pithœus emendavit, *alveos.*

*Protulit ſententiam.* Bene Mſ. Perotti & recentiores. Malè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *ſuſtulit ſententiam.*

*Hanc præteriſſem.* Rectè Mſ. Pith. & Cl. Pithœus ex antiquo uſu. Fruſtra emendatum in recentioribus editionibus, *præteriiſſem.*

FAB. XIV. *Æſopus ludens.* Titulus Fabulæ in Mſſ. Pith. & Rem. *De luſu & ſeveritate.*

*Deriſor potiùs.* Mſſ. Pith. Rem. & libri editi. Verſum immutavit Nicolaus Perottus.

*Ut deriſorem potiùs deridendum oſtenderet.*

*Expedi quid fecerim.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendant, *quò fecerim*: ſed non neceſſariò.

FAB. XV. *Non eſt hìc mater.* Non ita bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *non eſt hæc mater.*

*Unde illa ſcivit.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra emendavit Cl. *Philippe*, *Anne illa ſcivit.*

*Beneficium ſanè magnum.* Mſ. Perotti. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *beneficium magnum ſanè.* At quocumque modo legatur, redundat una ſyllaba, niſi in *beneficium* duæ ultimæ ſyllabæ in unam coaleſcant. Sic coeunt apud Virgilium, Georg. IV, 34.

*Seu lento fuerint alvearia vimine texta.*

*Cùm crearer maſculus.* Malè amplificat Nicolaus Perottus,

*Age porro, parere ſi voluiſſet feminam,*
*Quid profeciſſet? cùm crearer maſculus.*

*Cujus poteſtas.... Cur hac ſit potior.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. Fruſtra Cll. *Sanadon* & *Philippe* mutant & invertunt,

*Hac illa potior, quæ jacentis miſerita eſt,*
*Dulcemque ſponte præbet benevolentiam*
*Quamvis poteſtas nulla in gignendo fuit.*

*Non neceſſitas.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Peſſimè Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere, *non nativitas*, Rimicium & Neveletum ſecuti. *Nativitas* vox eſt ſequioris ævi & Phædro prorſus indigna.

FAB. XVI. *Cavoque ramo.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Inutiliter tentabat Cl. Bentleius *cavoque trunco*; quod tamen recepere Cll. *Sanadon* & *Philippe.*

*Clamare cæpit.* Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. In Mſ. Perotti, *occepit.*

*Citharâ quos putes Apollinis.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Cl. Petr. Burmannus, Guyetum ſecutus, edidit,

*Sonare citharâ quos putes Apollinem.*

*Arebat ſiti.* Mſ. Perotti & Hoogſtratanus. In Mſſ.

Pith. Rem. & vet. ed. *Ardebat ſiti.* Utrumque dicitur : ſed prius meliùs.

*Egreſſa e cavo.* Rectè emendavit Cl. Pithœus. In Mſſ. Pith. & Rem. *egreſſa cavo.*

FAB. XVII. *Pinus Cybebæ.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. Hoogſtratanus aliique. Cybeba eſt ipſa Cybele, mater deorum, teſte Suidâ. Κυβήβη· ἡ Θεῶν μήτηρ. Ita vocabatur a κυβιςᾶν, quod eſt propriè in caput provolvi. Nempe iis, qui ſacris ejus initiabantur, cauſa erat furoris, & ab illo furore matrem deorum Cybebam appellabant. Καὶ τὴν μητέρα τῶν Θεῶν ἀπὸ τῦ ἐνθυσιασμῦ Κυβήβην λέγυσιν. Cybebam dixit Phædrus, ut ſecunda ſyllaba produceretur, quæ brevis eſt in Cybele. Malè Cl. Pithœus aliique edidere, *Cybelæ.* Malè quoque Nicolaus Perottus, *Pinus Neptuno.* Vox illa *Neptuno* addita eſt in Mſſ. quòd librarii non intelligerent nomen Cybebæ.

*At mehercules.* Bene Mſ. Perotti ; ut & volebat Cl. Heinſius. In Mſſ. Pith. & Rem. *At me hercule.*

*Narrabit quod quis voluerit.* Rectè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Mendosè Mſ. Perotti, *At mehercule inquit quod quis voluerit.* Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere,

*At mehercule, inquit, narret quod quis voluerit.*

Non mutandum fuit, *narrabit ;* nec addendum, *inquit*, quòd a Phædro plerumque omittitur.

FAB. XVIII. *Cantus luſcinii.* Bene Mſſ. Pith.

Rem. & libri editi. Sic quoque Seneca, Ep. 76. laudavit vocem *dulciorem mobilioremque luſcinii.* Fruſtra emendatum in Mſ. Perotti, *luſciniæ.*

*Cunctis auribus.* Mſſ. Pith. & Rem. Sic quoque volebant Cll. Heinſius & Gudius. In Mſ. Perotti & Cl. Pithœus, *cunctis avibus.* Inde fruſtra emendabat Cl. *Sanadon*, *e cunctis avibus.* Pejus Cl. *Philippe*, *e cunctis auribus.*

*Quò mî, inquit, mutam ſpeciem.* Bene Cl. Pithœus. In Mſſ. Pith. & Rem. *Quò mihi, inquit mutam ſpeciem.* Malè Mſ. Perotti, *cur mihi, inquit, ſpecies.* Inde Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere, *Quò mî, inquit, tanta ſpecies.* Nihil erat novandum. Senſus eſt, quò mihi tribuiſti mutam ſpeciem ? *Une beauté muette.* Dixit quoque Ovidius, *Medicam. faciei*, vers. 33.

*Laudatas homini volucris Iunonia pennas*
*Explicat, & formâ muta ſuperbit avis.*

*Læva cornici omina.* Id dictum ex vulgari ſuperſtitione. Rectè Cicero, *de Divinatione* I, 39. *Quid* enim habet *augur, cur a dextrâ corvus, a ſiniſtrâ cornix faciat ratum ?*

*Contentæ dotibus.* Bene Mſ. Perotti ; & ita voluerant Cll. Heinſius & Bentleius. Non ita bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *contentæ vocibus.*

*Ad querelam recidat.* In *recidat* prima ſyllaba producitur, quòd litera *c* geminaretur, aut geminata cenſeretur. In Mſ. Pith. *reccidat.*

FAB. XIX. *Cùm, eſſet ſolus familia.* Mſ. Perotti. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *ſolus cùm eſſet familia.*

*Quidam e turbâ garrulus.* Bene Mſ. Perotti. Fruſtra additum in Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. *Et quidam e turbâ.* Mox in iiſdem Mſſ. malè, *quid tu cum lumine?* Rectè Mſ. Perotti, *quid cum lumine?* ut volebat Cl. Rittershuſius.

*Rettulit.* Mſ. Pith.

Poſt hanc Fabulam, in Mſ. Pith. & Rem. PHEDRI AUG. LIBERTI LIBER III. EXPL. INCIPIT LIBER IIII. In recentioribus editionibus ſubjungitur Fabula XX, *Aſinus & Galli*; quæ pertinet ad librum ſequentem. Sed certè hic deeſt Epilogus. E fine libri IV. fuit arceſſendus. Verum ejus locum ſatis indicant ipſa Epilogi materia, & ſequentis libri Prologus. In duobus ultimis Phædri libris nulla eſt librorum diſtinctio, & multa miſere a librariis turbata & truncata ſunt, quæ novo noſtro ordine reſtituuntur & illuſtrantur.

EPILOGUS. Euthychum certè in hoc Epilogo Phædrus alloquitur, ut deprehendet quiſquis Epilogum cum hujuſce libri III. Prologo conferet.

*Primùm, tibi eſſe ne videar.* Ita quidem Cl. Pithœus & libri editi. In Mſſ. Pith. & Rem.

*Primùm, eſſe tibi ne videar moleſtior.*

Quod & ferri poteſt, cùm litera *m* a Phædro ſæpe non elidatur.

*Deſtringit.* Mſſ. Pith & Rem.

*Quamvis naturæ tanta abundat copia.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Tota enim natura in Fabularum cenſum venit. In recentioribus editionibus malè emendaverunt alii, *Quamvis materiæ tanta abundat copia.* Alii, *Quamvis materia tantâ abundat copiâ.* Cl. Petr. Burmannus confingit codices, cùm ait: *Mſ. habent naturæ... alii codices magno numero habent materia.*

*Brevitatis noſtræ præmium.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. In recentioribus fruſtra emendatum, *brevitati.* Non brevitati, ſed brevitatis petitur præmium, ut quod ſupereſt vitæ melius ſit, nec ita languidum. In Mſ. Pith. pro *præmium* ſcriptum eſt tantum *mium.* Properans librarius omiſit *præ*; tantò faciliùs, quòd initium lineæ eſſet, *træ mium.* Recentiori manu ſuperſcriptum *ni.* Inde eruditus Salmaſius emendatum volebat, *nimirum*; Gronovius, *mutuum.* Quod abſonum eſt.

*Propior eſt quotidie.* Secunda ſyllaba in *quotidie* producitur, ut jam vidimus ſuprà libr. II. Fab. IV.

*Et hoc minùs perveniet.* Non malè emendavere Cll. Urſinus & Schefferus. Unam enim ſyllabam, aut pedem unum omiſere librarii in Mſſ. Pith. & Rem. *Et hoc minùs veniet.* Fortè quoque omiſſum eſt *tui*:

*Et hoc minùs veniet tui ad me muneris,*

Quod & obſervavit Cl. Petr. Burmannus.

*Cùm jam deſierit eſſe beneficio utilis.* Emendaverat Cl. Pithœus, *cùm jam deſierit eſſe beneficium utile.* Meliùs emendatum eſt, *beneficio utilis.* Corruptè Mſſ. Pith. & Rem.. *Cùm jam deſideret eſſe beneficio utilius.*

*Flagitabit.* Ita libri ſcripti & editi. Tentat tamen Cl. Bentleius, *flagitarit.* Sed convenientius eſt *flagitabit*; eâque diverſitate gaudent optimi ſcriptores. Inſignis eſt locus Terentii in Andr. Act. IV. Sc. I, 26.

*Ah neſcis quantis in malis verſer miſer,*
*Quantaſque hic ſuis conſiliis mihi confecit ſolicitudines*
*Meus carnifex.*

*Exiſtimo.* Rectè Cll. *Sanadon* & *Philippe*, Schefferum ſecuti. In Mſſ. Pith. & Rem. librarii præproperè ſcripſerant *exis*, reliquis literis omiſſis. Emendaverat Cl. Pithœus, *exiſtima.* Gudius autem peſſimè, *ſexcenties.* Quod tamen Hoogſtratanus aliique recepere.

*Tuæ ſunt partes, fuerant aliorum priùs.*
*Dein ſimili gyro venient aliorum vices.*

Locum hunc reſtitui, ſecutus Mſſ. Pith. & Rem. qui turbatè tamen habebant: *Tuæ ſunt partes, fuerunt aliorum dein ſimili gyro venient aliorum priùs vices.* Malè emendaverat Cl. Pithœus,

*Tuæ prius ſunt partes, aliorum dein:*
*Simili gyro venient aliorum vices.*

Alii ut conſtaret metri ratio, addiderant, *ſimilique gyro*. Cl. *Sanadon* duos illos verſus expunxerat : ultimum expunxit Cl. *Philippe* ; Obliti ſanè loquaces eſſe miſerias, & in longum proſpicere. Deinde ex noſtrâ emendatione manifeſtum eſt verſus illos non redundare, & periculoſum eſſe ex veteribus ſcriptoribus aliquid detrahere. Tunc autem partes erant Eutichi, cui Phædrus tertium Fabularum librum dicaverat. Priùs fuerant aliorum partes, qui prioribus duobus libris erant patrocinati. Deinde venere aliorum vices, Particulonis & Phileti, qui in duobus poſterioribus libris celebrantur.

*Et gratulari me fac judicio tuo.* Non malè emendavit Cl. Pithœus. Habent quidem Mſſ. Pith. & Rem. *& gratulari me tacere judicio tuo.* Unde quis fortè tentare poſſet,

*Patere me gratulari judicio tuo.*

ſed potior eſt Pithœana emendatio.

# IN LIBRUM IV.

PROLOGUS *ad Particulonem.* Hic Prologus perversâ emendatione, ut mox dicetur, in librum quintum fuerat conjectus : ſed ad quartum pertinet. Particulo vir ſanctiſſimus in Epilogo appellatur ; ingenio & ſanctitate commendatus.

*Damnavi meum.* Hujus versûs, ut & ſequentis, vox ultima deeſt in Mſſ. Pith. & Rem. Cl. Pithœus bene ſupplevit *meum ;* licet id edere non ſit auſus.

*Tituli artifex.* Deeſt *artifex*, ut jam monui, in Mſſ. Pith. & Rem. Emendabat eruditus Freinshemius, *appetens.* Placuit magis *artifex.* Tentari quoque poſſet, *avidus.*

*Divinabit.* Malè Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. *damnabit* pro *divinabit ;* & mox *cupiam*, pro *cupiat ; colorque prior*, pro *color proprius.*

*Quas Æſopeas.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Æſopias.* At brevis eſt penultima ſyllaba, & peccat metri ratio. Emendandum ergo fuit *Æſopeas.* Memorat Seneca, Conſolat. ad Polyb. cap. XXVII. *Fabellas & Æſopeos logos.* Græcis dicebantur Αἰσώπειοι λόγοι, aut μῦθοι.

*Quaſi paucas oſtenderit, ego plures diſſero.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Malè Cll. *Sanadon* & *Philippe* verſum hunc expunxerunt.

*Quartum libellum.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. In recentioribus perversè emendatum, *Harum*

*libellum*, vel *Quarum libellum*, ut hoc fieret quinti libri initium ; quod, ut jam monui, eſt quarti Prologus.

*Tu dum Variæ perleges.* Gratulor mihi locum hunc penitus deſperatum reſtituiſſe, duce Mſ. Pith. in quo legitur *dum variæ perleges.* Malè emendaverat Cl. Pithœus, *variè.* Cùm nec ſtaret verſus, nec conſtaret ſenſus, alii emendaverunt,

*Harum libellum tu vacivè perlege.*

Alii autem,

*Quarum libellum dum vacivè perleges.*

Et cùm obſervaretur *vacivè* non eſſe vocem latinam ; emendabat Cl. Petrus Burmannus, *vacivus* ; quod frigidum erat, nec hujus loci. Mirum eſt neminem deprehendiſſe veram lectionem, latitantem in Mſ. Pith. Hic agitur de Particulonis villâ, quæ erat Variæ, nunc *Vicovaro*, in ripâ dextrâ Anienis, nunc *Teverone*, agroque Tiburtino, *la Campagne de Tivoli*, viâ Valeriâ. Proxima fuit Horatii villa, qui & Variam memorat libr. I. Epiſt. XIV, 1.

*Villice ſilvarum, & mihi me reddentis agelli*
*Quem tu faſtidis, habitatum quinque focis, &*
*Quinque bonos ſolitum Variam dimittere patres.*

In aliquot Horatii editionibus malè *Bariam* legitur, ex corruptâ pronuntiatione & ſcripturâ *B* pro *V*. Gratum erit viris eruditis locum hunc Phædri tamdiu

tamdiu deploratum, tam facilè, tam certè fuiſſe ſanatum. Addidi quidem *tu*, quod a Phædri librariis ſæpe fuit omiſſum. Vide infra libr. V. Fab. IX.

*In litterarum ire plauſum deſidero.* Hunc quoque locum reſtitui ex Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. ubi legitur, *in litterarum plauſum ire deſidero.* Audacter emendavit Scioppius.

*Illiteratum plauſum nec deſidero*

Cll. Heinſius, *deſiderem*: alii, *non deſidero.* Phædri mentem non cepere. Cùm optimorum auctorum opera & ſcriptis & vocibus plaudentium celebrantur, ille eſt plauſus litterarum, quem ſibi deſiderat Phædrus. Ut autem reſtitueretur verſus, *ire* ante *plauſum* repoſui; ſic ultima verbi ſyllaba producitur. Mutationes illæ in Phædri Mſſ. codicibus ſunt frequentiſſimæ, cùm ejus Fabulas librarii, non ſervato verſuum ordine, ſed ut proſam deſcriberent.

FAB. I. *Aſinus & Galli*: FAB. II. *Muſtela & Mures.* Duas illas Fabulas ita eſſe edendas docet ipſa rerum ſeries, quæ tota perit, ſi a ſe invicem disjunguntur. Id neminem adhuc percepiſſe miror. Immo recentiores editores adeò eas ſejunxere, ut Fabula, *Aſinus & Galli*, in finem libri tertii fuerit ablegata; Fabula, *Muſtela & Mures*, libro quarto fuerit præfixa: reclamantibus tamen Mſſ. Pith. & Rem. ipſo Cl. Pithœo, qui duas illas Fabulas in librum IV. Congeſſere. Multò meliùs Cl. Joannes

*de la Fontaine*, Phædri exemplum ſecutus, duas quoque initio ſexti ſui libri Fabulas conjunxit, quibus titulus eſt : *Fable premiere, le Pâtre & le Lion. Fable II. le Lion & le Chaſſeur.* Duas quoque libro IV. conjunxerat : Fable XV. *le Loup, la Chevre & le Chévreau.* Fable XVI. *le Loup, la Mere & l'Enfant.*

*Galli Cybebes.* Galli ſunt ſacerdotes Cybeles, quæ & hîc ut ſuprà libr. III. Fab. XVII. appellatur Cybebe, aut Cybeba, ut conſtet metri ratio. *Cybebes* habent Mſſ. Pith. & Rem. Malè emendavit Cl. Pithœus, *Cybeles.*

*Quæſtu ducere.* Ut oſtiatim mendicarent, ſuaque venditarent mendacia Malè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *quæſtus.*

*Delicio ſuo.* Sic apud Senecam, Ep. 12. *Ego ſum Philoſiti villici filius, deliciolum tuum.*

*Locuti ſunt.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & libri editi. Fruſtra tentant Cll. Heinſius & Bentleius, *jocati ſunt.*

*Joculare tibi videtur.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Perperam emendavit Cl. Heinſius, *joculares tibi videntur :* Cl. Petr. Burmanus, *joculares tibi videmur.* Neuter deprehendit utriuſque Fabulæ juncturam.

*Et ſanè levi.* Non malè emendatum, *levi.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *leve.* Quod retineri quoque poteſt, ſi adverbialiter ſumatur.

*Sine mercede.* Fabulas narrantibus olim as dabatur. Notum illud Plinii II. Ep. 20. *Aſſem para,*

*& accipe auream fabulam.* Jocoſæ quoque Fabulæ alteram utiliorem adjicere voluit Phædrus. Sic Seneca Ep. 12. nolebat epiſtolam cludere *ſine ullo peculio.*

*Fabellam adjiciam.* Iidem libri ſcripti & editi. Malè in editione Cl. Philippe, *Fabulam.* Tunc enim peccat metri ratio.

*At compreſſus.* Ita emendavit Cl. Heinſius. In Mſſ. Pith. Rem. & vet. ed. *et.* Malebat Cl. Bentleius, *comprenſus.* Sed & ferri poteſt *compreſſus*, ut habent libri ſcripti & editi.

*Deinde periit tertius.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *deinde perit & tertius.* Quod certè eſſet probandum, ni mox ſequenti verſu haberetur, *venit & retorridus*; & jam pluries repetita eſſet partila *et.*

*Ut farina es, quæ jaces.* Deeſt quidem ſententia, quæ vulgò Fabulæ ſubnectitur. Aut Phædrus, aut librarii eam omiſere. Obvia eſt.

*Plerumque diffide, ut ſit tibi ſecuritas.*

FAB. IV. *Equus & Aper.* Hortatus ſum ſuprà libr. I. Fab. XXIV. ut Horatius, Phædrus & Joannes *de la Fontaine* inter ſe conferrentur. Altera datur & opportuniſſima occaſio. Similem enim Fabulam narravit Horatius I. Epiſt. X, 34.

*Cervus equum, pugnâ melior, communibus herbis*
*Pellebat, donec minor in certamine longo*
*Imploravit opes hominis, frænumque recepit:*

*Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,*
*Non equitem dorſo, non frænum depulit ore.*
*Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis*
*Libertate caret, dominum vehet improbus: atque*
*Serviet æternùm, quia parvo neſciet uti.*

FAB. V. *Lanificam & frugi, ruſticam.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In recentioribus editionibus, *& ruſticam.*

*Centena... ſeſtertia.* Centena ſeſtertia ſunt Gallicæ noſtræ monetæ libræ 19453.

*Agros, vites.* Corruptè Mſſ. Pith. & Rem. *agros, utiles*, Unde Cl. Pithœus non malè emendavit, *vites.* Poſtea emendatum, *villas*; non ita probabiliter cùm paulo antè memoretur tantùm villa; nec plures villas ferant centena ſeſtertia.

*Ut vinum petat.* Rectè emendavit Cl. Gronovius. Oſcitantiâ librariorum in Mſſ. Pith. *ut vinum paret.* Verbum repetitum eſt ex verſu ſequenti, *ut ornatum paret.*

FAB. VI. *Muſtelarum exercitu.* Cl. *Sanadon*, Bentleium ſecutus, emendabat, *exercitum.* Quod neceſſarium non eſt.

*Hiſtoria quorum in tabernis.* Litera *m*, ut jam ſæpe monui, hic non eliditur. Malè Cl. *Sanadon* cum Guyeto hunc verſum expungebat. Contrà vocem unam addunt Cll. Heinſius & Bentleius, *quorum & in tabernis.*

FAB. VII. *Utinam nec umquam Pelii.* Phædrus, ut cenſores ſuos irrideat, qui eum humiliorem eſſe

dicebant, Sophocleo utitur cothurno, ſeque grandioribus ſcribendis parem probat.

*Opere Palladio.* Argus, Areſtoris filius, inſtinctu & operâ Minervæ, navem fabricavit, ut docet Apollonius, Argonaut. I, 18. & III, 340.

*Exempla impetum.* Minos, antiquiſſimus, claſſem comparavit, Cycladas inſulas occupavit, & piratas e mari ſuſtulit. Vide Thucydidem I, 4.

*Si qui ſtulti nauſeant.* Fruſtra emendabat. Cl. *Sanadon, qui ſtultitiâ nauſeant.*

FAB. IX. *Homo in periclum ſimul ac venit callidus.* Cl. Pithœus edidit quidem ex Mſ. Pith.

*Homo ſimul ac venit in magnum periculum.*

ſed diſſimulavit aliam ſcripturam & meliorem, *in periculum ſimul ac venit callidus*, quam habent Mſſ. Pith. & Rem. Hæc eſt genuina Phædri ſcriptura; illa eſt præceptoris alicujus interpretatio.

Hanc Fabulam paulo aliter & fuſiùs narravit Æſopus; cujus veſtigiis preſsè inſtitit Cl. Deſbillons, hoc ſcribendi genere celeberrimus. Ejus Fabulam hic referre juvat, ut, cùm Gallicam Cl. Joannis *de la Fontaine* interpretationem legeris, præcipua Fabularum ingenia ex unâ Fabulâ melius cognoſcas.

## *VULPIS & CAPER.*

IN puteum Vulpis, & Caper deſcenderant
Sitim ut levarent. Cùm bibiſſent, & Caper
Reſpicere circùm inciperet, de reditu anxius:

Bono animo es, inquit Vulpis ; hinc enim priùs
Reputavi mecum quî poſſimus egredi.
Namque ad parietem ſi admoveris te modò,
Erexeriſque poſteriores in pedes,
Mentoque ad pectus adducto iſta cornua
Reclinâris, ego per tergum erepens tuum
Evadam facilè, teque educam poſtea.
Cautum, mehercule, conſilium admirans ait
Barbatus ! & facit omnia, ut monitus fuit.
Ergo illa remeat. Quæ quidem dum gaudio
Elata geſtit putei in ipſo margine,
Nec curat ſocio quid futurum ſit ſuo :
Doloſa, perfida nominatur : at refert :
Age tamen, Hirce ; ſi quantùm in mento geris
Setarum, in mente tantùm eſſet ſenſûs tibi,
An priùs, amabo, puteum in hunc deſcenderes ;
Quàm provideres, an remeandi ſit via !

Vetamur hoc exemplo quidpiam aggredi,
Nihil ubi ſpondet exitum facilem fore.

FAB. XI. *Onuſtus ſacrilegio.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Onuſtus qui ſacrilegio. Qui* redundare manifeſtum eſt ; & eſſe omittendum rectè monuere Cll. Johnſius & Petr. Burmannus : Miror Cll. *Sanadon* & *Philippe* illud retinuiſſe contra metri rationem.

FAB. XII. *Malas eſſe divitias.* Hunc titulum habent Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Recentior eſt alter, *Hercules & Plutus.* Utrumque retinui, quòd

ille Phædri animum exhibeat, hic Fabulæ perſonas appellet. Non indignum eſt obſervatione ſimillima ingenia Phædrum & Joannem *de la Fontaine* a divitiis abhorruiſſe, & graviter eas fuiſſe inſectatos. Vide Joan. de la Fontaine, libr. IV. Fab. XX. libr. VIII. Fab. XXVII.

*Cuncta corrumpit lucro.* Phædro dignæ ſunt ſententiæ; ut & Juvenàlis verſus, Satyr. VI, 294.

*Nullum crimen abeſt facinuſque libidinis, ex quo*
*Paupertas Romana perit. . . . . .*
*Prima peregrinos obſcena pecunia mores*
*Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu*
*Divitiæ molles.*

FAB. XIII. *Pax alta raraque.* Ne trunca mutilaque remaneret Fabula, cum magno ſenſûs diſpendio, illam ſupplemento explevi. Supplementum autem Italicis literis diſtinxi.

FAB. XIV. *Prometheus.* Tota ferme hæc Fabula fuit ſupplenda, cùm ſuperſtites eſſent tantùm tres verſus. Ejus argumentum ſatis indicabat *idem Prometheus* in ſequenti Fabulâ memoratus.

*Lacrimis, non aquâ.* Id accepi ex Stobæo, Serm. I. pag. 21.

*Poſtquam lavare cœpit pœnitentiâ.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Perperam in recentioribus editionibus hic verſus in finem fragmenti ſuperioris Fabulæ conjectus eſt; nullo ſenſu, mutato etiam *lavare* in *labare.*

*A fictione.* Sic Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Peſſimè recentiores emendavere, alii *affixione*, alii *affrictione*, alii demum *adfictione* quæ tres voces ſunt barbaræ, & latinis prorſus ignotæ. *A fictione* autem, id eſt poſt fictionem, aut poſtquam finxit.

FAB. XV. *Idem Prometheus. Idem* habent Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet.

*Tribadas & molles mares.* Duabus his Fabulis Phædrus carpit infames Tiberii Principis libidines, quas queruntur Tacitus Annal. VI, 1. & Suetonius in Tiber. cap. 43.

FAB. XVI. *Indignari cœperunt.* Mſſ. Pith. Rem. & editiones ferme omnes. In perpaucis fruſtra emendatum, *cœperant.* Penultima ſyllaba in *cœperunt* corripitur: ut mos eſt optimis ſcriptoribus.

*Veſtræ fortitudinis.* Ita Mſ. Pith. & ed. vet. Male Mſ. Rem. *veſtræ fortitudine.* In recentioribus quibuſdam editionibus fruſtra emendatum, *fortitudini. Pares* enim conſtrui poſſunt cum genitivo.

FAB. XVII. *Mutato die.* Bene emendavit Cl. Rittershuſius. Malè Mſſ. Pith. Rem. & edit. vet. *mutatur dies.*

FAB. XVIII. *Canum legati.* Pithœus & alii plurimi.

*Meliora vitæ tempora oratum.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *melioris vitæ tempus oratum ſuæ.* Bene emendavit Cl. Urſinus, *meliora vitæ tempora*; & in hoc proclivis fuit librariorum error.

*Ut ſeſe eriperet.* Rectè emendavit Cl. Gudiùs. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *uti ſeſe abriperet.*

*Turpe æſtimantes.* Cl. *Sanadon* emendabat, *æſtimarunt.* Bene quidem, ſed non neceſſariò.

*Rumor legatos ſuperiores prodidit.* Sunt qui putent aliquid hic deeſſe. At nihil deeſt. Verùm ob verſûs metrum, *prodidit* pro *prodiderat* a Phædro uſurpatum eſt.

*Mandata dant ; citique mittuntur : ſtatim.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Mandant dimittuntur ſtatim adeunt.* Emendabat Cl. Rittershuſius

> *Mandata dant, deinde mittuntur ſtatim :*
> *Adeunt.*

Cl. autem Petr. Burmannus,

> *Mandant, ut qui mittuntur legati ſtatim*
> *Adeant.*

Cùm nihil eſſet ſani, ego repoſui :

> *Mandata dant ; citique mittuntur : ſtatim*
> *Adeunt.*

Quod cum rerum ſerie convenire mihi videtur ; nec a vetere Mſſ. ſcripturâ ita recedit. Mallet Cl. Schefferus, *abeunt* ; quod probabile primùm judicabitur : at mox diſplicebit, cùm ùna eademque res non ſit *adeunt*, & *rogantes aditum.* Adeunt aulam, rogant aditum ad jovem. Verſum hunc perperam expunxit Cl. *Philippe.*

*Canes confuſi, ſubitus.* Bene recentiores. Perperam in Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Canes, confuſus ſubitò quòd fuerat fragor.*

*Non eſt regis,* Non decet regem legatos non dimittere. Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. paulò aliter verſum ordinant.

*Non eſt legatos regis non dimittere.*

*Sed hoc feretis.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. hoc loco eum verſum reponunt, quem dimovit Cl. *Philippe*, & duobus pòſt verſibus, ante verſum, *illi autem, qui miſerunt*, repoſuit.

*Verùm cruciari fame.* Abſolutè dictum; ut ſæpe fit apud optimos ſcriptores, poetas & hiſtoricos. Intelligitur, *volo, jubeo.* Sic & nos loquimur: *Je ne défends pas qu'on les renvoie; mais qu'on les faſſe jeûner.*

*Hominis contumeliâ.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtrà emendatum eſt, *hominum contumeliâ.* Jam vidimus ſuprà Fab. XIII. *Utilius homini nihil eſt.*

FAB. XIX. *Necuit hominem protinus.* Rectè emendavit Cl. Pithœus. In Mſſ. Pith. & Rem. *nocuit.* Dixit quidem Plautus in Mil. glorios. Act. V. Sc. I, 19. *Jura te non nociturum eſſe hominem de hac re neminem.* At in hoc Phœdri loco proprium verbum eſt, *necuit.*

*Hanc alia cùm rogaret.* Fruſtra Cl. *Sanadon* tentat, *Hic aliquis cùm rogaret.*

FAB. XX. *In Avarum.* Secundum hunc titulum

addidi, qui in Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. reperitur ante verſus,

*Abiturus illuc quò priores abierunt*, &c.

*Speluncam intimam.* Ita Mſ. Perotti. Sic quoque volebat. Cl. Bentleius. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Speluncam ultimam.* Quod nec diſplicet.

*Quadrantes aggeras.* Quadrans ætate Phædri valebat Gallicæ noſtræ monetæ denarios tres, *un liard.* Ex hac autem Phædri Fabulâ egregiam Lupi & Venatoris Fabulam excogitavit Cl. Joannes *de la Fontaine*, Libr. VIII. Fab. XXVII.

*Impenſam funeris.* Mſſ. Pith. Rem. & libri editi. In Mſ. Perotti, *funeri.*

*Faciat lucri.* Bene Mſ. Perotti. Malè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *lucrum.*

FAB. XXI. *Judicare cogitet.* In Mſſ. Pith. & Rem. *Judicare cogitur.* Non malè emendavit Cl. Pithœus, *cogitet.*

*Cœptum propoſiti ordinem.* Bene Cl. Pithœus. Malè Mſſ. Pith. & Rem. *propoſitum.*

FAB. XXII. *Mercede acceptâ.* Sic Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra quidem tentavere, *pactâ.* Cantores illi mercedem & accipiebant & paciſcebantur.

*In Ceâ inſulâ.* Ceos, vel Cea, inſula maris Ægæi, nunc *Zia*, *dans l'Archipel.*

*Clazomenæ.* Clazomenæ, urbs Ioniæ, nunc *Vourla.* In Mſſ. Pith. Rem. & Perrotti, *Clazomene;*

Sed eſt recentioris ævi ſcriptura. Ætate Phædri appellabantur *Clazomenæ.*

*Tabulam ſuam portant.* Naufragi, ut miſericordiam moverent, naufragii ſui tabulam portabant, victum rogantes. Inde Perſius, Satyr. I, 85.

*Men' moveat: quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem*
*Protulerim: cantas, cùm fractâ te in trabe pictum*
*Ex humero portes.*

FAB. XXIII. *Mons parturibat.* Hoc apologo. Tachos, Ægypti rex, irriſit Ageſilaum, Lacedæmoniorum regem, corpore puſillum; ὤδινεν ὄρος, ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο· τὸ δ' ἔτεκεν μῦν. *Parturiit mons, exterritus eſt Jupiter; murem peperit.* Fortiter reſpondit Ageſilaus, φανήσομαί σοι ποτὲ ἢ λέων. *Videbor aliquando tibi leo.* Athenæus, Libr. XIV. pag. 616.

FAB. XXIV. *Formica & muſca.* Ante hunc verſum, in Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet.

*Nihil agere quod non proſit fabella indicat.*

Quæ ſententia non eſt Phædri, ſed a ſciolo aliquo addita.

*Eſt glorioſus ſanè.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In Mſſ. Perotti, quem ſunt ſecuti Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *planè.*

*Superba jactas.* Bene emendavit Cl. Pithœus. In Mſſ. Pith. Rem & Perotti, *ſuper etiam jactas.*

*Cur brumâ ſiles!* Ita Mſ. Perotti; & elegantem

Non ita bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Cùm bruma eſt, ſiles.* Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere, *at brumâ ſiles.*

*Rettudi ſuperbiam.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Geminata eſt litera, ut produceretur prima ſyllaba.

FAB. XXV. *Dixi ſuperiùs.* Fabulâ XXII.

*Simonides idem ille.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Sic paſſim loquitur Cicero. Malè & ex uſu vulgari Mſ. Perotti, quem ſecutus eſt Cl. *Philippe.*

*Simonides ille, ſuprà de quo retuli.*

*Victoris laudem cuidam pyctæ.* Rectè adhuc Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In Mſ. Perotti, *victori laudes*, ut volebant Cll. Gronovius & Schefferus, nec eruditis viris adprobavere, licet id receperint Cll. *Sanadon* & *Philippe.* Nihil enim peccat in antiquiſſimorum Mſſ. codicum ſcripturâ. Sic & nos loquimur: *Il étoit convenu de compoſer un éloge de vainqueur pour un certain athlete.* Pycta autem ſignificat pugilem, qui a Græcis dicitur πύκτης. Eamdem hiſtoriam, ſed diversè narrant Cicero de Oratore II, 86. & Quinctilianus, Inſtit. Orat. XI, 2. Alios auctores ſecutus eſt Phædrus.

*Certo conduxit pretio.* Optimè Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Sic quoque locutus eſt Cicero de Divinat. II, 47. Redemptor, *qui columnam illam de Cottâ & Torquato conduxerat faciendam.* Perperam eruditi Meurſius & Scaliger emendavere, *condixit.*

*Uſus poetæ more eſt & licentiâ.* Non malè emendatum ex Mſ. Perotti, in quo, *uſus poetæ more & licentiâ eſt.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *uſus poetæ moris eſt licentiâ.* Unde quidem emendavere, *uſus poetæ, ut moris eſt, licentiâ.* Sed in libro ſequenti Phædrus dicit, *ut mos eſt*, non, *ut moris.*

*Gemina Ledæ ſidera.* Caſtor eſt & Pollux, de quibus Horatius I. Od. XII, 25.

*Dicam & Alciden, puerosque Ledæ,*
*Hunc equis, illum ſuperare pugnis*
*Nobilem.*

*Auctoritatem ſimilis referens gratiæ.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In Mſ. Perotti, *auctores aptæ.* Inde Cll. *Sanadon* & *Philippe* fruſtra emendavere, *auctores aptè ſimilis referens grætiæ.*

*Cùm reliquam poſceret.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Sine neceſſitate in recentioribus editionibus emendatum, *reliquum.*

*Quorum ſunt laudes duæ.* Bene & eleganter Mſſ. Pith. Rem & ed. vet. In Mſ. Perotti, quem ſequuntur Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *quorum ſunt partes duæ.* Id tamen eſt ex Perotti, non ex Phædri ingenio. Magis enim placent *laudes duæ*, quam *partes duæ.* Laudes duæ, *les deux éloges.* Inde autem patet cur ſuprà Phædrus ſcripſerit *laudem*; & Perottus male emendaverit *laudes.* Nec audiendus Cl. Bentleius, qui correxit, *reddant*, *quorum ſunt laudis duæ.*

*Iratè dimiſſum te ſentiam.* Bene emendatum. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *irate te dimiſſum ſentiam.* Mſ. Perotti, *ut ſine irate dimiſſum te ſentiant.* Unde tentabat Cl. Petr. Burmannus,

*Verùm ut ſine irâ te dimiſſum ſentiant.*

& ad Caſtores refert *ſentiant.* Quod frigidum eſt.

*Ad cenam mihi promitte.* Rectè, & ex elegantiâ latinâ. Ineptè in Mſ. Perotti, *ad cenam mecum veni.* Quod ideo refero, ut intelligatur quâ licentiâ & inelegantiâ Phædrum mutaverit Perottus, ut ejus fabulas faceret ſuas.

*Ruina camaræ.* Camara, aut camera, eſt fornix, *la voûte.*

*Omnes ſcierunt.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In Mſ. Perotti, *dixerunt.* Quod probavere Cll. *Sanadon* & *Philippe.*

EPILOGUS. In Mſſ. Pith. Rem. & ed vet. hic Epilogus reperitur inter Fabulas quintam & ſextam libri quinti, quæ inſcribuntur *Scurra & Ruſticus, duo Calvi.* At ex Prologo libri quarti ad Particulonem, patet hunc eſſe ejuſdem libri Epilogum; quem Cll. *Sanadon* & *Philippe* in finem libri quinti immeritò conjecere.

*Immodicæ offendunt.* In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *immodica Brevitatem adproba.* In Mſſ. Pith. Rem. *adprobat.* Cl. Pithœus rectè emendavit *adproba.* Mallet Cl. *Sanadon*, *proba.* Utrumque dicitur,

*Molesti validius.* Doctis indoctisque molesti sunt poetæ, carminum suorum recitatores acerbi : Talem recitatorem, quemdam Ligurinum, lepidè irridet Martialis III. Epigramm. 44 & 50.

# IN LIBRUM V.

PROLOGUS. In Mſſ. Pith. & Rem. liber quintus non eſt diſtinctus a quarto. Hunc Prologum quinti libri initium meritò fecit Cl. Pithœus. Crediderim Prologum & quintum librum dicatos fuiſſe Phileto, qui memoratur in Fabulâ ultimâ.

*Inveniunt, novo ſi marmori.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Perperam emendavit Cl. Bentleius, *novis.* Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *ſuis.*

*Scopam æri, Myronem argento, tabulæ Zeuxidem.* Optimè emendavit Cl. Bentleius. Nihil aliud patitur locus. Nec audiendus Cl. Pithœus, qui, ut habent Mſſ. Pith. & Rem. edidit, *ſuo detrito, Myronem argento : fabulæ exaudiant.* Magis adhuc peccant Cll. *Sanadon* & *Philippe*, qui reponunt, *novo, Myronem argento ;* & cetera expungunt. Bentleianam emendationem egregiè confirmat Martialis Epigramm. IV, 39. ubi Charinum in argenteis magnorum artificum operibus inſanientem irridet.

*Argenti genus omne comparaſti,*
*Et ſolus veteres Myronis artes,*
*Solus Praxitelis manus, Scopæque,*
*Solus Phidiaci toreuma cœli,*
*Solus Mentoreos habes labores.*

*Adeo fucatæ plus vetuſtati favet.* Optimè adhuc Cl. Bentleius. Corruptè Mſſ. Pith. & Rem. *Adeo*

*fugatæ plus vetuſtis favet.* Bis peccavit Cl. Pithœus ; primùm , quòd *adeò fugatæ* ad ſuperiora retulit. Punctum eſt enim in Mſ. Pith. ante *adeo fugatæ.* Ergo verba illa non pertinent ad verſum ſuperiorem. Secundùm quòd poſt *vetuſtis* addidit , *nam* ; id enim reſtituendo corrupto loco non ſufficit. *Fugatæ* bene Cl. Bentleius mutavit in *fucatæ* ; & pro *vetuſtis* repoſuit *vetuſtati* , ut poſtulabat ipſa rerum ſeries. Emendationibus illis nihil eſt felicius & certius. Ætate Romanorum , ut & noſtrâ , fuit fraus plurima in fucatæ vetuſtatis monumentis , quam deprehendere in ſtatuis , in tabulis , in nummis ars ſemper erit difficillima.

Fab. I. *Demetrius.* Demetrius Phalereus , Athenis principatum obtinuit anno ante Chriſtum 318. & per annos decem tenuit. Diogen. Laert. libr. V. ſect. 75. Dictus eſt Phalereus a Phalerâ Athenarum portu , nunc *Tripirghi.*

*Certatim ruunt.* Quanta fuerit Athenienſium adulatio docet Plinius Hiſt. nat. XXXIV , 6. *Nulli arbitror plures ſtatuas dicatas , quàm Phalereo Demetrio Athenis. Siquidem CCCLX ſtatuêre , nondum anno hunc numerum annorum excedente , quas mox laceravere.*

*Repunt ultimi.* Ita M. Perotti & recentiores editiones. In Mſſ. Pith. Rem. & veteribus editionibus , *repetunt ultimi.* Quod ferri quoque poteſt , ſi intelligatur , *Feliciter.*

*Veſtitu adfluens.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. ver.

In Mſ. Perotti & editionibus recentioribus, *fluens.* Talem veſtis laxitatem in Mænâ, Pompeii liberto, irridet Horatius, Epod. IV, 8.

*Licet ſuperbus ambules pecuniâ,*
*Fortuna non mutat genus.*
*Videſne, ſacram metiente te viam*
*Cum bis ter ulnarum togâ,*
*Ut ora vertat huc & huc euntium*
*Liberrima indignatio.*

*Mutatus ſtatim.* In Mſſ. Pith. Rem. & libris editis deeſt Fabulæ finis. Recentiores editiones addidere verſiculum,

*Compellat hominem blandè, dextramque arripit.*

qui vacuum locum malè explet; cùm in Mſſ. Perotti legatur, *homo, inquit f.. non poteſt.* Superſtites literæ ſupplementum mihi indicavere,

*Homo, inquit, fieri non poteſt venuſtior;*
*Vatemque & ſcripta meritis tollit laudibus.*
*Ingenio, non luxu, paratur claritas.*

FAB. II. *Duo cùm incidiſſent.* Initium Fabulæ deeſt in Mſſ. Pith. Rem. & editionibus veteribus. Illud habet Mſ. Perotti; optimum quidem & Phædro digniſſimum.

*Conſtantior fuiſſem, vera exiſtimans.* Verſum hunc habent Mſſ. Pith. Rem. & libri omnes editi. Deeſt in Mſ. Perotti.

*Scio quàm virtuti.* Bene Mſ. Perotti & editio-

nes recentiores. In Mſſ. Pith. & Rem. *ſcio quid virtuti.* Emendaverat Cl. Pithœus, *quod.*

FAB. III. *Alapam ſibi duxit gravem.* Ducere eſt verbum proprium. Sic Paulus in Digeſt. libr. XLVII. Tit. 10. *de Injuriis.* leg. 4. *Si cum ſervo meo pugnum ducere vellem, in proximo te ſtantem percuſſerim : injuriarum non teneor.*

*Addideris contumeliam.* Contumelioſa enim eſt alapa.

FAB. IV. *Tuum libenter.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In Mſ. Perotti, *libenter iſtum ;* ut & volebat Cl. Bentleius. Malim *tuum*, cùm mox ſequatur *illo.*

*Paucis temeritas eſt bono.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Sine auctoritate & neceſſitate Cll. *Sanadon* & *Philippe* emendavere, *aviditas.* Sed temeritate quoque omnia occupantur & expilantur.

FAB. V. *Dives quidam & nobilis.* Bene Mſ. Perotti. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. omiſſa eſt particula *&* ; unde Cl. Schefferus, quem ſecutus eſt Petr. Burmannus, emendavit, *nobiles.*

*Civitatem concitat.* In Mſ. Perotti *convocat.*

*Porcelli vocem eſt imitatus ſuâ.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. In Mſ. Perotti, ut & Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *porcellum voce imitatus eſt ſuâ.*

*Plauſu proſequuntur.* Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra Cl. Philippe emendavit, *perſequuntur.*

*Degrunnit prior.* Mſ. Perotti.

*Pervellit aurem.* Ita Mſ. Perotti ; nec habet ver-

ſum, quem interponunt Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet.

*Sed in priore quia nihil compererat latens.*

Hunc quoque verſum omiſſum volebant Urſinus & Heinſius. Omiſere Cll. *Sanadon* & *Philippe*. Si quis tamen retinere voluerit verſum,

*Sed in priore quia nihil compererat latens.*

non ſufficit emendare cum Petro Burmanno, *compererant*. verſus unus adhuc erit ſupplendus in hunc modum,

*Exſultans turba nihil reformidat doli.*

*Aurem vero*. Bene Mſſ. Pith. Rem. & libri editi. Mſ. Perotti, *aurem porco*.

*Errorem exprobrans*. Ita Mſ. Perotti, & Cll. *Sanadon* & *Philippe*. In Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *errorem probans*.

FAB. VI. *In communo*. Malè in Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. omiſſa præpoſitio *in*.

*Huic querela*. Bene Cl. Pithœus. In Mſſ. Pith. & Rem. *huic querelæ*.

FAB. VII. *Princeps tibicen*. Titulus hujus Fabulæ in Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Procax tibicen*.

*Adripuit*. In Mſ. Pith. *abripuit*.

*Princeps tibicen*. Princeps videtur eſſe nomen proprium, ut ſunt apud nos qui nominantur *le Prince*. Talis princeps reperitur inter libertos ſervoſque domûs Auguſtæ

PRINCEPS.... AM
PEDISEQ. DECUR.

id eſt, *Princeps, pediſequorum decurio.* Vide Cl. Bianchini, *Camera ed Inſcriptioni ſepulcrali de' liberti, ſervi ed ufficiali della caſa di Auguſto.* p. 59. Hominem in tibicinio apprimè nobilem laudat Apuleius Florid. IV. *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculæ melleus modulator, & idem omnis Modi peritus modificator; ſeu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.*

*Bathyllo.* Bathyllus Alexandrinus, pantomimus fuit, Mæcenatis libertus & ſaltator egregius. Unde apud Perſium Satyr. V, 123.

*Tres tantùm ad numeros ſatyri moveare Bathylli.*

*Duas cùm dextras.* Cùm maluiſſet perdere duas dextras tibias, quas ſolitus erat inflare.

*Saltantis vigor.* Bathylli ſaltantis.

*Quidam nobilis.* Ita Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Fruſtra Cl. Petr. Burmannus emendavit *nobiles.*

*Princeps ingredier.* Bene emendatum. Corruptiſſimè in Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Et incipiebat Princeps abduci reum ingredi a ſe reducit pretio.*

*Reducit pretio, precibus.* Idem loquendi genus videre eſt apud Terentium in Eunucho Act. V. ſcen. VIII, 24.

*Perfice hoc*
*Precibus, pretio, ut hæream in parte aliquâ tandem*
*apud Thaidem.*

In recentioribus quidem editionibus emendatum eſt, *adducit.*: ſed perperam. *Reducit* enim &

bent Mſſ. & eſt verbum proprium, ut conſtat ex loco inſigni Plinii quo hæc Fabula plurimùm illuſtratur. *Galeria Copiola Emboliaria reducta eſt in ſcenam C. Poppæo, Q. Sulpicio conſulibus, ludis pro ſalute divi Auguſti votivis, annum centeſimum quartum agens: quæ producta fuerat tirocinio a M. Pomponio ædili plebis, C. Mario, Cn. Carbone conſulibus, ante annos nonaginta unum: & a Magno Pompeio magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta.* Plin. Hiſt. nat. VII, 48.

*Aulæo miſſo.* Ita Mſ. Rem. & ed. vet. in Mſ. Pith. *miſo.* Fruſtra emendant Cll. *Sanadon* & *Philippe*, *demiſſo aulæo.* Eadem eſt enim utriuſque verbi ſignificatio. Nec crediderim Phædrum dixiſſe, *demiſſo aulæo, devolutis tonitrubus.*.

*Devolutis tonitrubus.* Claudius Pulcher, qui ſplendidam ædilitatem egit anno Urbis conditæ DCLV. hæc tonitrua inſtituit, teſte Feſto: *Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher inſtituit, ut ludis poſt ſcenam collectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrui ſimilitudinem imitaretur. Nam antea leves admodum & parvi ſonitus fiebant, cùm clavi & lapides in labrum æneum conjicerentur.*

*More tranſlatitio.* More in fabulis theatriſque recepto. Deos ita loquentes inducit Plautus, memoratque Horatius in Arte poeticâ. Eodem ſenſu de theatrali veſtitu dixit Valerius Maximus II, 4. num. 6. *Tranſlatum antea Pœniceis indutum tunicis M. Scaurus exquiſito genere veſtis cultum induxit.*

*Tunc chorus & ignotum reducto canticum impoſuit.* Ut locum hunc reſtituerem, opus tantùm fuit ſupplere &, quod erat omiſſum. Habent enim Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. *Tunc Chorus ignotum more ducto canticum impoſuit.* Malè fuit emendatum in recentionibus editionibus

*Chorus reducto tunc & notum canticum*
*Impoſuit*

Phædrus certè ſcripſerat *ignotum*; & ni fuiſſet ignotum canticum, Principi tibicini non impoſuiſſet. Nec mirum eſt, dum per aliquot menſes ſanabatur ejus tibia, factum fuiſſe canticum, quod ei fuerit ignotum. Cantica quoque illa, plurima & frequentiſſima cùm invaluit Cæſarum dominatio, rara & tarda fuere ſub novo Auguſti principatu.

*Salvo Principe.* Crediderim hæc contigiſſe anno Urbis conditæ DCCLXII. Chriſti 9. quo vidimus ſuprà ex Plinio ludos votivos pro ſalute Auguſti fuiſſe habitos. Hac de re exſtant nummi Auguſti, tum aurei, tum argentei, cum inſcriptione SPQR CÆSARI AUGUSTO. In averſâ parte VOT. P. SUSC. PRO SAL. ET REDIT. I. O. M. SACRUM. Id eſt, *Senatus populuſque Romanus Cæſari Auguſto; Votum publicè ſuſceptum pro ſalute & reditu Jovi optimo maximo ſacrum.* Aliis in nummis VOTA PUBLICA.

*Ligato crure niveâ faſciâ.* Hinc intelligitur cultus famulitii domûs Auguſtæ. Adde quæ de atrienſibus

ſibus dixit ſuprà Phædrus lib. II. Fab. 5.

*Honore divinæ domûs.* Domus divina eſt domus Auguſta ; quæ ſic ſæpe appellatur in veteribus Inſcriptionibus.

FAB. VIII. *Tempus.* Talis eſt titulus in Mſſ. Pith. Rem. & editionibus veteribus. In recentioribus, *Occaſio depicta.*

*Pendens in novaculâ.* Illa temporis effigies paululum differt ab effigie quam exhibuit Lyſippus, & quæ deſcribitur in Anthologiâ IV, 14. Hæc pendens in rotulâ, tenebat dextrâ manu novaculam.

## ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΥ.

### Εἰς ἄγαλμα τῦ Καιρῦ.

Τίς, πόθεν ὁ πλάσης; Σικυώνιος. ὄνομα δὴ τίς;
Λύσιππος. σὺ δὲ, τίς; Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.
Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω. τί δὲ ταρσὸς
Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
Χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδράσι δεῖγμα
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
Ἡ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
Νὴ Δία! τἀξόπιθεν δ' εἰς τί φαλακρὰ πέλει;
Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσὶν
Οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.

Τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων,
Ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις ἔθηκε διδασκαλίην.

Feliciter vertit eruditus Grotius.

## POSIDIPPI.

### *De imagine Occaſionis.*

Tu quis es hic qui ſtas? Occaſio. Quis tibi fictor?
Lyſippus. Cujas? De Sicyone ſatus.
Nitere cur pedibus ſummis? Amo currere. Pennæ
Cur pedibus? Venti turbine rapta volo.
In dextrâ cur iſta novacula? Monſtrat acutam
Hæc eſſe & ferro me magis & Chalybe.
Cur in fronte coma eſt? Apprendar ut obvia. Sed cur
Omnis abeſt glabro crinis ab occipite?
Nempe quòd eripui cùm me ſemel alite curſu,
Nemo erit elapſam qui revocare queat.
Hanc operam fictor propter vos ſumpſerat, hoſpes,
Pro monito ſtarem ſemper ut ante fores.

*Effigiem temporis.* Cùm Alexander Magnus quereretur tempus effugere, talem effigiem temporis finxit Lyſippus; ut videre eſt apud Tzetzem X, 322.

Fab. IX. *Quo ſe pacto plecteret.* Bene Mſſ. & libri editi. Nec tentandum, ut quibuſdam placuit, *flecteret.*

*Quàm tu natus es. Tu* deeſt in Mſſ. Pith. & Rem. Rectè illud addidit Cl. Pithœus.

FAB. X. *Non te deſtituit.* Bene Mſſ. Pith. Rem. & ed. vet. Sine neceſſitate in recentioribus emendatum, *non me deſtituit.*

*Dum damnas quod non ſumus.* In Mſſ. Pith. & Rem. *jam damnas quod ſumus.* Emendaverat Cl. Pithœus, *jam damnas quod non ſumus.* Meliùs recentiores, *dum damnas.*

*Philete.* In Mſ. Pith. *filete.* Mſ. Rem. *file.* Rectè emendatum eſt, *Philete.* Inter libertos ſervoſque domûs Auguſtæ memorantur PHILETUS ÆDITUUS FORTUNARUM. HILARUS PHILETI FRATER. Vide Cl. Bianchini, in opere ſæpe laudato, pag. 75 & 76.

*Pulchrè vides.* Nihil hic deeſt, ut opinatur Joannes Laurentius. At Phædrus Philetum monet ingenium ſuum annis ingravantibus languere, nec condendis carminibus vires jam ſufficere. Cùm hæc ſit ultima ejus Fabula, poeta elegantiſſimus obtemperavit præcepto Horatii I. Epiſt. I, 8.

*Solve ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne*
*Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.*

Hæc Fabula eſt ultima in Mſ. Pith. & deſinit cum ipsâ paginâ, ſine ullâ finis notâ. Cl. Pithœus, qui manuſcriptum codicem deſcripſerat, antequam inordinatè fuiſſet compactus, qualis nunc eſt, verſuſque diſtinxerat, ut Phædrus typis ederetur in finem illius exemplaris adnotavit: *In V. C.* (id eſt, *in veteri codice*) *abſciſſum erat folium.* Con-

trà in Mſ. Remenſi poſt hanc Fabulam erat ſcriptum : *Phædri Aug. liberti liber quintus explicit feliciter.* D. Vincent, qui Remenſem hunc codicem contulit, addit : *il n'y a point de feuillet perdu qui puiſſe faire juger que d'autres fables aient été auſſi perdues. Les feuillets ne ſont point ſéparés, & le tout fait ſuite.*

## IN APPENDICEM.

QUINQUE illæ Fabulæ, quas Cl. Marquardus Gudius in veteri codice Mſ. Divionenſi reperit, non ſunt inelegantes. At eas Phædri eſſe minimè conſtat, nec crediderim, licèt in quintâ arbores loquantur, ut de Fabulis ſuis teſtatur ipſe Phædrus in Prologo libri primi. Optimis ſcriptoribus non adſcribenda ſunt opera, niſi certiſſimis ex argumentis, & optima. Iis in Fabulis deſiderantur lepos & concinnitas, quibus Phædrus commendatur.

# FABLES
## CHOISIES
### *TIRÉES ou IMITÉES*
# DE PHEDRE.
## PAR LA FONTAINE.

Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres, nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.

*Horat. de Art. Poetic. vers. 131.*

# AVANT-PROPOS.

*Je ne prétends pas juger entre Phedre & la Fontaine. Mais, en rapprochant ces deux Ecrivains admirables, je crois préſenter la plus belle des Poétiques, celle de l'exemple. Ils ont été l'un & l'autre la gloire de leur ſiecle : chacun a ſon caractere original de perfection. On voit dans l'un le goût ſévere de l'élégance romaine ; & dans l'autre l'enjouement naturel de la gaieté françoiſe. S'il n'y a rien qu'on puiſſe ajoûter à Phedre, il n'y a rien qu'on veuille retrancher dans la Fontaine. Voilà les deux regles du beau les plus vraies & les plus infaillibles. Etudions donc ces modeles. L'antiquité les a formés : elle*

*nous formera également ; & s'il y a en nous quelque étincelle de génie, nous ne ſerons pas long-temps leurs admirateurs, ſans devenir leurs rivaux.*

# LIVRE PREMIER.

## FABLE PREMIERE.

### *Le Loup & l'Agneau* (1).

La raiſon du plus fort eſt toujours la meilleure :
Nous l'allons montrer tout-à-l'heure.
Un Agneau ſe déſaltéroit
Dans le courant d'une onde pure.
Un Loup ſurvient à jeun, qui cherchoit aventure,
Et que la faim en ces lieux attiroit.
Qui te rend ſi hardi de troubler mon breuvage ?
Dit cet animal plein de rage.
Tu ſeras châtié de ta témérité.
Sire, répond l'Agneau, que votre Majeſté
Ne ſe mette pas en colere,
Mais plutôt qu'elle conſidere
Que je me vas déſaltérant
Dans le courant,
Plus de vingt pas au deſſous d'elle ;
Et que, par conſéquent, en aucune façon,
Je ne puis troubler ſa boiſſon.

(1) Phedre I, 1. La Fontaine I, 10.

Tu la troubles, reprit cette bête cruelle ;
Et je ſais que de moi tu médis l'an paſſé.
Comment l'aurois je fait ſi je n'étois pas né ?
Reprit l'Agneau ; je tette encor ma mere.
Si ce n'eſt toi, c'eſt donc ton frere.
Je n'en ai point. C'eſt donc quelqu'un des tiens ;
Car vous ne m'épargnez guère,
Vous, vos Bergers & vos Chiens.
On me l'a dit : il faut que je me venge.
Là-deſſus au fond des forêts
Le Loup l'emporte, & puis le mange,
Sans autre forme de procès.

## FABLE II.

### *Les Grenouilles qui demandent un Roi* (1).

Les Grenouilles ſe laſſant
De l'état démocratique (2),
Par leurs clameurs firent tant
Que Jupin les ſoumit au pouvoir monarchique (3).
Il leur tomba du Ciel un Roi tout pacifique :
Ce Roi fit toutefois un tel bruit en tombant,
Que la gent marécageuſe,
Gent fort ſotte & fort peureuſe,

(1) Phedre I, 2. La Fontaine III, 4.

(2) Où le peuple gouverne. Notes de M. Coſte.

(3) Au gouvernement ſouverain d'un ſeul, qu'on nomme *Monarque*, *Roi*, *Prince*, &c.

S'alla cacher ſous les eaux,
Dans les joncs, dans les roſeaux,
Dans les trous du marécage,
Sans oſer de long-tems regarder au viſage
Celui qu'elles croyoient être un Géant nouveau.
Or c'étoit un ſoliveau,
De qui la gravité fit peur à la premiere,
Qui de le voir s'aventurant,
Oſa bien quitter ſa taniere.
Elle approcha, mais en tremblant.
Une autre la ſuivit, une autre en fit autant,
Il en vint une fourmilliere;
Et leur troupe à la fin ſe rendit familiere
Juſqu'à ſauter ſur l'épaule du Roi.
Le bon Sire le ſouffre, & ſe tient toujours coi.
Jupin en a bientôt la cervelle rompue.
Donnez nous, dit ce Peuple, un Roi qui ſe remue.
Le Monarque des Dieux leur envoie une Grue,
Qui les croque, qui les tue,
Qui les gobe à ſon plaiſir:
Et Grenouilles de ſe plaindre,
Et Jupin de leur dire: Eh quoi! votre deſir
A ſes loix croit-il nous aſtreindre?
Vous avez dû premiérement
Garder votre Gouvernement:
Mais ne l'ayant pas fait, il vous devoit ſuffire
Que votre premier Roi fût débonnaire & doux:
De celui-ci contentez-vous,
De peur d'en rencontrer un pire.

## FABLE III.

### *Le Geai paré des plumes du Paon* (1).

UN Paon muoit : un Geai prit ſon plumage :
Puis après ſe l'accommoda :
Puis, parmi d'autres Paons tout fier ſe panada,
Croyant être un beau perſonnage.
Quelqu'un le reconnut : il ſe vit bafoué,
Berné, ſifflé, moqué, joué,
Et, par Meſſieurs les Paons, plumé d'étrange ſorte :
Même vers ſes pareils s'étant réfugié,
Il fut par eux mis à la porte.

Il eſt aſſez de Geais à deux pieds comme lui,
Qui ſe parent ſouvent des dépouilles d'autrui,
Et que l'on nomme Plagiaires (2).
Je m'en tais, & ne veux leur cauſer nul ennui :
Ce ne ſont pas là mes affaires.

